



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

De S. Simone Propheta Hierosolymis Sylloge.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

A mihi plane ignotus sit, Eloqui vero translationem Valciodori etiam multi martyrologi hodie signent, Ewigium pro Eloquio scriptum puto. Vide ergo mox dicenda de S. E. loquio.

S. Eloqui corporis translationem Valciodori in D. episcopatu Namurcensi hodie varia Martyrologia memorant; de eo agemus die, quo ejusdem Natalis inscriptus Martyrologiis legitur, III Decembris.

DE S. SIMEONE PROPHETA

HIEROSOLYMIS

J. B.

SYLLOGE.

§ I. S. Simeonis apud Latinos, Græcosque memoria : scriptores aliquot antiqui, qui illius mentionem habent.

SUB INITIUM
SECVLI I.
Enumeran-
tis

Sanctum Simeonem, cujus Lucas in Evangelio cap. 2 præclaram facit mentionem, Fasti sacri plerique tum recentiores, tum antiqui, Græci æque ac Latini, licet ad dies valde diversos, certatim celebrarunt. Martyrologium quidem Romanum, a Benedicto XIV auctum et castigatum ad diem VIII Octobris S. Birgiltæ viduæ annuntiationi hæc de S. Simeone proxime subjicit : Eodem die natalis beati Simeonis Senis, qui in Evangelio Dominum Jesum suis in ulnis suscepisse legitur. Multis ante seculis idem præstitit Usuardus, qui hodiernum Sanctorum laterculum his verbis exorsus est : Natalis beatissimi senis Simeonis, qui in Evangelio legitur Dominum suis suscepisse in ulnis. Idem Ado tum in Martyrologio, tum in Libello de Festivitatibus Apostolorum etc. : priore quidem loco hæc tantum scribens : Et beatissimi Senis Simeonis : sed in Libello mox dicto Simeoni ex Lucæ Evangelio elogium texit hunc in modum : Natalis beatissimi senis Simeonis de quo beatus Lucas Evangelista refert : « Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo. Responsum autem accepit ab Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum induerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, et ipse accepit eum id manibus, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. » Et ita fere habet vulgata Luc. 2 cap. §§. 25, 26, 27, 28, 29.

dies varii,

2 At Florus, Hrabanus, Notkerus ad diem v Januarii S. Simeonem suis Martyrologiis inseruerunt : Notkerus, antiquorum martyrologorum exemplo, et Lucæ de Simeone dictis innixus, Prophetæ titulum illi adjecit. Hierosolymæ, inquit, depositio S. Simeonis Prophetæ, qui Dominum Jesum Christum, Spiritus S. illustratione cognitum, de manibus parentum in ulnas suas accepit, et non solum de eo, sed et de Matre ejus futura mystico sermone prænuntiavit; alludens nimirum ad verba Lucæ §. 34 et seq. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum, cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex

multis cordibus cogitationes. Dum vero ait, depositio, indicare videtur, S. Simeonem eo die finem vivendi fecisse. Eadem voce utuntur Hrabanus et Florus; cujus tomo 2 Martii præfixum Martyrologium ita habet : Hierosolyma depositio Simeonis Prophetæ : qui a Spiritu sancto responsum accepit, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. Simeonis item meminuit Florus in Carmine de Gestis Christi Domini apud Martene tom. 5 Anecdotorum col. 602; ubi S. Simeonem sacerdotem fuisse, vel sacerdotis, cum Christus offerretur Domino, munere functum, tacite videtur innuere : quæ de re cum pluribus infra disserendum sit, paucos versiculos, quibus id aliorum martyrologorum, ut mox videbimus, exemplo facere videtur, huc obiter transcribo : sunt autem hi :

Accipit hunc lætis Simeon sanctissimus ulnis,

Dumque Deo offertur, dum dat pia munera templo,

Hunc Dominum lucis, hunc fert regem esse salutis.

Ad diem v Januarii sic pariter Wandelbertus canit :

Sed Nonas Simeon confessor possidet almus.

3 At hæc de altero Simeone, nimirum Stylita, hoc pariter die culto, intelligenda videntur. Ut ut id sese habeat, Floro, Hrabano et Notkero, quantum ad diem v Januarii, quo etiam S. Simeonem signant, plerique consonant Hieronymiani codices. Lucensis apud Florentinum sic habet, festum Occursus S. Simeonis, cum accepit puerum Dominum in ulnis suis, ut inquit in Annotatis Florentinis, manifeste distinguens ab ejus depositione : In Jerosolyma Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Dominum Jesum Christum Maria et Joseph, et depositio ipsius Prophetæ. Tisdem pene verbis S. Simeonis annuntiatio concipitur in codice Corbeiensi apud eundem Florentinum, apud Acherium tom. 4 Spicilegii pag. 620, apud Martene tom. 3 Anecdotorum col. 1572, uti et in Opere nostro tom. VII Junii in Corbeiensi breviori. Ex reliquis vero vetustis Martyrologiis, eodem Anecdotorum tomo a Marteneo excussis, S. Simeonem die v Januarii signant Morbacense et Autissiodorense ab annis circiter mille, ut titulus præfert, sub Hieronymi nomine compactum, sed sub nomine Simonis, quod

f. quibus S. Simeonis memoria

A quod apud Hebraeos idem valere ac Simeonis, scribit Jansenius Iprensis in Commentario in Lucam. Eo Martyrologiis vero Hieronymianis tom. vii Junii Operis nostri excusis, in diem v Januarii conspirant Rinoviense, Richenoviense, Augustanum monasterii S. Udalrici, Reginae Sueciae, et Labbeanum, quod sic habet: Hierusalem, Simeonis presbyteri. Codex Epternacensis a jam citatis abit, nihil ad diem v Januarii de Simeone memorans: sed ad diem 2 Februarii, ubi in aliis mentio fit festi Purificationis B. Mariae Virginis, sic habet: Et Hierosolymis S. Simeonis, sequente lacumula quadam quae forte voce Occursus aut alia simili supplenda est.

in Martyrologiis Latinis,

4 Verum hoc loco non tam peculiare S. Simeonis festum, quam B. Virginis Purificatio et Christi Oblatio indicatur. Festum enim Purificationis vocari festum S. Simeonis in codice Remigiano, observat Menardus in Annotatis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papae pag. 41. Liquet id etiam ex libro, qui Ordo Romanus inscribitur, et tempore Pipini regis et Stephani Papae exaratus fertur, e quo Henschenius tom. i Februarii pag. 273 num. 23 ista delibet: De hac festivitate, id est, *ὑπαρχῇ* Domini et aliis festivitibus S. Mariae in Gestis Pontificalibus legitur, quod Sergius Papa praecipit Litanias fieri in die Presentationis Domini in templo. Ita enim scriptum est, ut diebus Annuntiationi Domini, Dormitionis ac Nativitatis sanctae Dei Genitricis Mariae, et S. Simeonis, quod *ὑπαρχῇ* Graece dicitur, cum Litiis exeant a S. Adriano et ad S. Mariam populus occurrat. Eandem Purificationis festo nomenclaturam tribuit Anastasius Bibliothecarius in Sergio I, qui Petri Cathedralam sub finem saeculi septimi adeptus eandem morte deseruit initio octavi. Denique festum S. Simeoni proprium die iv Februarii signant Galesinius, auctor Martyrologii, quod Canisii dicitur, Ferrarius in Catalogo Sanctorum Generali, Withfordus in Martyrologio ecclesiae Sarisburiensis, Felicius, et Petrus Equilinus lib. 3 cap. 80; ubi singularia quaedam de S. Simeone narrat; ut egisse illum, cum Christum suscepit, annum aetatis suae 112, ac triduo post mortuum Hierosolymis 2 Nonas Februarii sepultum fuisse: sed addit: Haec in libro de Infantia Salvatoris, nempe jam inde ab anno 494 a Gelasio Papa in Concilio Romano inter libros apocryphos relato; ut adeo his, ob multiplicia, quae de Christi infantili aetate inventa fuere commenta, fides exigua debeat. Sed ad diem viii Octobris etiam memoratur in Calendario festorum proprium Ecclesiae Hierosolymitanæ apud Waddingum in Annalibus Minorum ad annum 1342.

Menais,

5 Accipe modo Fastos quosdam sacros Graecorum, quibus die iii Februarii, postridie Purificationis B. Virginis, seu, ut Graeci loquuntur, Hypapantes, S. Simeonis festum inscribitur. Menaea ad dictum diem tribus primum versiculis de S. Simeone ita canunt:

* Ἠγγεῖλε νεκροῖς Πρέσβυς, ὡς Θεοῦ λόγος,

* Ἀνθρωπος ὁρθεὶς, μέχρι καὶ τούτων φθάσει.

Τῇ τριτάτῃ δεσμοῖο βίου λύθη Συμῶννης.

Nuntiavit mortuis Senex, divinum Verbum, Hominem factum, etiam usque ad illos perventurum.

Tertia (Februarii) vinculo vitae solutus est Simeon.

Tum ita prosequuntur: * Ως ἐν τῷ παρόντι βίω, τὴν παρατεταμένην ζωὴν δεξιόμενος, διὰ τὸ χρηματισθῆναι ὑπὸ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἰδεῖν θάνατον, πρὶν ἢ

τὸν Χριστὸν δεῶσθαι, ἐν ἀγκάλῃς τοῦτον ὑποδεξιόμενος, καὶ τὰ περὶ αὐτοῦ ἑορμενα, Πνεύματι ἁγίῳ θεωροῦνθῆς, καὶ προφητῶσαι, κατὰ τὸν αὐτοῦ χρηματισμὸν, τοῦ βίου πέραν ἰδεῖναι. Qui, cum hic vitam, propter editum a S. Spiritu responsum, fore, ut non prius mortem, quam Christum visurus esset, multum protraxisset, in ulnas hunc suscepit, et, postquam, quae illi futura erant, Spiritu sancto afflatus, praedixerat, secundum Spiritus sancti responsum, vitae finem accepit. Si sensum versiculorum assequor, significant, S. Simeonem die iii Februarii, cum pridie diu expectatum Messiam manibus excepisset, hac vita defunctum, constitutis in limbo Patribus peractae jam divinae Incarnationis nuncium pertulisse, ac praedicasse, in ipsum limbum, quo eos inde liberet, Messiam propediem perventurum.

AUCTORE
J. B.

6 Suo quoque hoc die (iii Februarii) elogio ornatur S. Simeon una cum S. Anna prophetissa in Menologio Graecorum Annalibus Albani titulo S. Clementis S. R. E. presbyteri Cardinalis Graece et Latine anno 1726 Urbini edito; sed in eo, quod Canisius edidit, die prima Februarii; at cum id ex iis, quae Lucae 2 cap. leguntur, fere petendum sit, id huc transcribere non est necesse. Eodem signatur a Maximo Margunio, Cytherorum episcopo; in Horis canonicis Cryptae ferratae; in Anthologio Graecorum, in Calendario Graecorum Reusneri et Genebrardi. Theodorus in Commentario in tit. 7 Nomocanonis Photii, Novellam Manuëlis Comneni imperatoris exhibet, qua inter dies, quibus iudicia cessare debebant, seu omnino feriatis, recensetur dies iii Februarii, ob festum memoriae Simeonis, Dei susceptoris. Καὶ ἡ γ. διὰ τῆς τῆς μνήμης, inquit in laudata Novella dictus imperator, τοῦ Θεοδόχου Συμῶν τελεῖται. Peculiaria quaedam occurrunt de S. Simeone ad diem iii Februarii in Menologio Graecorum apud Ughellum tom. x Italiae sacrae auctae, quod e versione Archidii Corcyrensis ita habet: Tertio Nonas sancti et justi Symeonis, qui in ulnas suas Dominum suscepit, et Annae Prophetidis commemoratio. Symeon insigni iustitia et pietate senex seipsum ab omni peccati labe advocans, cum a templo nusquam discederet, sed assiduus Deum precibus fatigaret, ut mundum miseratus tandem aliquando mortales a daemonis potestate vindicaret, audivit ab angelo, se non prius ex hominum vita migraturum, quam videret Christum Domini, eum, qui universo orbi esset allaturus salutem.

et Menologia
Graecis,

E

F

7 Eodemque etiam Anna Prophetis oraculo donata est a Deo. Cum igitur quadragésimo ab ortu die detulissent parentes puerum Jesum in templum ad legis praescriptionem, Symeon venit (ulnis) complexus, dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum; cumque et de Christi morte, de cruce, deque Genitrice, quae Filium cruci affixum visura esset, prophetasset, Anna vero gratias egisset Deo, uterque fatalem vivendi summam explevit. In Supplemento vero Ms., quod penes nos est, ad Menaea excusa ex Synacario membranaceo antiquo Ms. P. Sirmondi adduntur ista: Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῶν συναξὶς ἐν τῷ ἀποστολείῳ τοῦ ἁγίου Ἰακώβου, τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου, τῷ ὄντι ἐν τῷ τεσσαρίῳ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῶν χαλκοπρατείων. Celebratur vero festivitas eorum in aede S. Jacobi, fratris Domini, quae est in venerabili templo sanctissimae Deiparae in Chalcoopratiis, nimirum Constantinopoli. Ut autem colligas, quam late

variarumque
gentium Fa-
stis celebra-
tur;

AUCTOR
J. B.

late Simeonis cultus sese per orbem Christianum diffuderit, nonnullarum praelerea gentium Fastos sacros, quibus inserta est ejus memoria, juverit adduxisse in medium. Ad diem III Februarii locum habet in *Ephemeridibus Græco-Mosis tom. 1 Maii præfixis*; uti in *Menologio Slavo-Russico Sparwensfeldiano, quod ex Sparwensfeldii versione sic habet*: Sancti et justi Simeonis, acceptoris Dei: et Annæ Prophetissæ, qui vixit annos cccx. Item in *Kalendario Rhutenorum apud Possevinum tom. 2 Apparatus sacri pag. 366. Ad diem 2 Februarii in Fastis Copticis apud Seldenum de Synedriis veterum Hebræorum pag. 393 ita legitur*: Simeonis sacerdotis et gestationis Domini; et idem est introitus Domini in templum. Ad diem eundem signatur in *Kalendario Æthiopico apud Jobum Ludolfum in Historia Æthiopica pag. 308.*

ut et anti-
qui aliquot,
qui post S.
Lucam

8 Nonnulla ex iis, quæ ex laudatis hactenus Fastis sacris de S. Simeone allata sunt, in controversiam veniunt, de quibus infra disseretur. At omni profecto exceptione majus est insigne, quod S. Simeoni tribuit Lucas Evangelista, Spiritu Sancto dictante, elogium, quo, quamquam non omnia, quæ præclare Simeon gessit, sed ea tantum, quæ Christum recens natum proxime spectabant, prosequi Evangelista voluerit, ea tamen paucis edixit, quibus ad S. Simeonis laudem vix quidquam dici potuisset uberius. Sic itaque de eo Lucas in *Evangelio cap. 2. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israël. Et erant pater ejus et Mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël; et in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.*

S. Simeonis
mentionem
fecere,

9 Lucam imitati antiqui Patres S. Simeonis præconia scriptis suis frequenter celebrarunt: *Irenæus lib. 4 contra Hæreses cap. 7, Abrahamum spiritu prophetico vidisse, ait, desideratum illum diem, quo Dei Filius inter homines homo futurus esset; natam vero inde patriarchæ letitiam et gratulationem a Simeone re fuisse impletam.* Et Abraham ergo, inquit, a Verbo cognoscens Patrem, qui fecit cælum et terram, hunc Deum confitebatur: et doctus representatione, quod inter homines homo futurus esset Filius Dei, per cuius adventum semen ejus erat futurum quasi stellæ cæli, concupivit eam diem videre, uti et ipse complecteretur Christum: et per spiritum prophetiæ eam videns exsultavit. Propter quod et Simeon ex semine ejus re implebat gratulationem patriarchæ, et dicebat: Nunc remittis servum tuum, Domine, in pace etc. *Ambrosius hæc Lucæ verba*: Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Symeon: et homo iste justus, et timoratus expectans consolationem

Israël ita commentatur: Non solum ab angelis D et prophetis, a pastoribus et parentibus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accipit testimonium. Omnis ætas et uterque sexus, eventorumque miracula fidem adstruunt. Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat, Magus adorat, utero clausus exultat, vidua confitetur, justus expectat. Et bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat: cupiens ipse corpore vinculis fragilitatis absolvi, sed expectans videre Promissum; sciebat enim, quia beati oculi, qui eum viderent. Symeon denique ille justus, ait S. Cyprianus lib. de Mortalitate, qui vere justus fuit, qui fide plena Dei præcepta servavit, cum ei divinitus responsum fuisset, quod non ante moreretur, quam Christum vidisset, et Christus infans in templum cum Matre venisset, agnovit in spiritu, natum esse jam Christum, de quo sibi fuerat ante predictum; quo viso, scivit, se cito esse moriturum. Lætus itaque de morte proxima et de vicina accersitione securus accepit in manus Puerum et benedicens Dominum exclamavit et dixit: "Nunc dimittis servum tuum, Domine secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum." Probans scilicet atque E contestans, tunc esse servis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti sedis et securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.

10 Simeonem S. Augustinus sermone 163, alias 3 de Verbis Apostoli, tom. 5, col. 786 et seq. editionis Benedictinæ sanctum Senem, de Deo bene meritum appellat et a sincera pietate commendat. Verba ejus sunt: In hoc desiderio (salutare Dei, seu Christum videndi) erat ille sanctus senex Simeon: in hoc, inquam, desiderio erat senex ille sanctus et de Deo bene meritis Simeon; sine dubio et ipse dicebat "Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis." In hoc desiderio, in talibus precibus responsum accepit, quia non gustaret mortem, nisi vidisset Christum Domini. Natus est Christus, veniebat ille, ille ibat: sed donec veniret ille, ille ire nolebat. Jam senectus matura excluderebat, sed sincera pietas detinebat. At ubi venit, at ubi natus est, at ubi eum portari Matris manibus vidit, et divinam infantiam pia senectus agnovit, accepit eum in manus suas et dixit "Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum." Ecce unde dicebat "Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam et salutare tuum da nobis." Impletum est desiderium Senis, mundi ipsius senectute vergente. Ipse ad senem hominem venit, qui mundum veterem invenit. Inter Hymnos a S. Paulino, patriarcha Aquileiensi, qui sub seculi x initium obiit, compositos, et a Madrisio Venetiis anno 1737 editos, qui ordine quartus, et pro festo Purificationis est, de S. Simeone inscribitur; in quo præter alia, ex Luca mutuata, hæc de Simeone Paulinus canit:

Dei sacerdos, humilis, mitissimus
Erat in urbe justus, senex optimus,
Felix, beatus Simeon cælifluo
Sanctoque plenus adfuit spiramine,
Sacra sub aula nutu Dei concitus etc.

11 S. Bernardus, a Mabillonio editus et Græcique illustratus, Epist. 98, col. 104 ita de Simeone loquitur: Sed et Senex ille tam plenus virtutum, quam dierum, morte jam propinqua, Vitam bajulans

scriptores
Latini

F

A bajulans in manibus, aiebat: « Nunc dimittis
« servum tuum, Domine, secundum verbum
« tuum in pace: quia viderunt oculi mei salu-
« tare tuum » ac si diceret: Securus descendo
in carcerem, qui tam præsto meam sentio red-
emptionem. Et hic ergo, qui cum tam secu-
ra jucunditate et jucunda securitate moritur,
merito in Ecclesia celebrari cum gaudio memo-
ratur. S. Ildephonsi archiepiscopi Toletani de Pu-
rificatione sanctæ Mariæ Sermo exstat tom. 12
Bibliothecæ Patrum Lugdunensis pag. 588 et
seqq., in quo etiam nonnulla in S. Simeonis laudem
reperire est. Mitto plures alios, qui, sive de Lucæ
verbis cap. 2, v. 22 et seqq., sive de Domini ob-
latione, sive de ipso Simeone ex instituto tra-
cantes, nonnulla de illo scripserunt. E scripto-
ribus Græcis Leonlius, Neapolitanus in Cypro
episcopus, qui sub finem seculi sexti et initium
septimi floruit, integrum de Simeone, Dominum
in ulnas suscipiente, sermonem conscripsit, quem
Combesius part. 1 Auctarii Patrum Græcorum
a col. 681 edidit, Simeonem quoque laudat apud
eundem Combesium Leo augustus, dictus Sapi-
ens, in Oratione de Præsentatione Domini; uti
et Athanasius Alexandrinus episcopus, in Ser-
mone in Christi Domini Occursu col. 507 et
seqq. Combesius in Annotatis in Opera S. Atha-
nasii, a se edita, dictum Sermonem de Occursu
Domini Athanasio Magno, qui seculo IV floruit,
et toleratis pro Ecclesiæ laboribus et persecutio-
nibus celeberrimus easit, non dubitanter adscri-
bit. Tum objicit sibi hunc Athanasii textum: Con-
tradict enim atque disceptabit de illo (Christo)
ac spectante ad eum doctrina Simon adver-
sus Marcionem, Ariusque adversus Sabellium
[nec non Eutyches adversus Nestori-
um:] ac utrique adversus Ecclesiam: in quem
ita scribit: Unum video, quod primo statim
aspectu Athanasio illi Magno abrogare videatur
(laudatum Sermonem) quod nimirum Eutyches
et Nestorii hæreticorum invicem ac ab Eccle-
sia dissidentium meminerit, quos liquet fere se-
culo integro Athanasio juniores. Verum facilis
expeditæque solutio, ut quis tantillum attendat:
nempe esse ea verba addita ab eo, qui in usum
ecclesiæ suæ post Eutychianam ac Nestorianam
hæresim, eum tractatum descripsit, ac monumentis
aliis in Ecclesia more Græcorum legi solitis, accen-
suit.

12 Verum quidni Sermo ille alterius Atha-
nasii seu Anastasii, Alexandrini episcopi, qui
anno 614 obiit, esse potuerit? Operum S. Atha-
nasii editores Benedictini Congregationis S. Mau-
ri tom. 2, pag. 415 Combesii rationem, ob quam
verba illa: Nec non Eutyches adversus Nesto-
rium, subditiua opinatur, quod nempe Athana-
sius memoratis Simone et Marcione, Sabellio et
Ario, mox eorum errores recenset; de Euty-
chis autem et Nestorii erroribus nihil dixerit,
elevant, aiuntque: Verum fatemur, nobis non
liquere, esse Nestorii et Eutychis nomina hoc
loco adjectitia: nam præterquam quod exstant
in duobus codicibus regis, ad quorum fidem
hæc Homilia edita fuit; cum scriptor iste post
allata sex hæresiarcharum nomina multas hære-
ses memoret, tacito hæreticorum nomine, V.
G. Docitarum, Appollinaristarum, aliorumque;
sane innuere videtur, nequaquam sibi id consi-
lii fuisse, ut præmissis nominibus Simonis, Mar-
cionis, Sabellii, Arii, Nestorii, Eutychis; eo-
rundem hæreses ordine postea memoraret, sed
allatis quatuor priorum erroribus, reliquis dein

hæreses, ut se memoriæ offerrebant, recensuisse.
Verum hac de re sermo plenior infra recurret,
Addunt et alia in ea occurrere Homilia, quæ æta-
tem arguant Nestorio posteriorem, stilum ab
Athanasiano diversum, verba Athanasio non usi-
tata, aliæque hujusmodi, quæ apud laudatos edi-
tores videri possunt. Neque eam forte habuit
festum Occursus Domini antiquitatem, ut de eo
Homiliam habere potuerit. Dubii itaque sallem
auctoris est ista Homilia. Plures quidem e Græ-
cis Patribus citari hoc loco possent, sed dubium
pariter est, num, quæ eorum nomine citantur,
vere ab illis profecta sint: ex his præcipuos da-
bimus infra.

§ II. Refutantur aliquot de S. Si- meone errores: an fuerit sacer- dos.

Præter ea, quæ de Simeone Lucas scripsit, nonnulla de eodem narrantur, quæ vel fabu-
losa sunt, vel a dubiis auctoribus scripta vel mu-
tuata sunt. Ibi (in suburbio Bethlehem) inquit Ce-
drenus scriptor Græcus, ex Maria natus Emma-
nuëlis, octavo die circumcisis, post quadraginta
dies Hierosolymam adductus est, ut Domino secun-
dum Legem sisteretur: acceptusque est a justo
Simeone. Is Dei receptor Simeon Judæus, unus erat
de LXX illis interpretibus, qui Ptolemæo Philadel-
pho, Egypti regi, Ebraicum vetus Testamentum in
Græcum transtulerant sermonem ante Christi ad-
ventum, sicut D. Chrysostomus in suo de sex diebus
Opere tradit. Atque hic Simeon, cum Esaiæ vatici-
nium legisset, virginem gravidam fore, partuque
filium, Emmanuel nomine, edituram, fidem
dicto prorsus derogavit, quod humana natura om-
nino virginem parere non admitteret. Sic ei anima-
to divinitus patefactum est, victurum eo usque,
dum vatis oraculum impleteretur. Id nos sacrum
etiam docet Evangelium his verbis: « Erat Spi-
« ritu sancto præditus, ab eoque oraculum ac-
« ceperat, se non ante moriturum, quam Un-
« ctum Domini vidisset. » Eum ergo in templo
videns Puerulum quadraginta dierum, in ulnas
accepit etc. Simile quidpiam ante illum scripse-
rat Eutychius, patriarcha Alexandrinus, seculo
X secundum Seldenum, addiditque: Deus ergo
vitæ terminum ipsi auxit, adeo ut annos trecentos
quinguenta viveret, donec Christum Dominum
videret.

14 Ptolemæus Philadelphus divinas Scripturas
per 70 (seu 72) interpretes transferri ex Hebraica
lingua in Græcam curavit, ut scribit Eusebius li-
bro posteriori Chronicorum, anno 2 Olympiadis
124, id est, anno 283 ante epocham Christi secundum
Tabulam Olympiadum et Urbis Romæ ex Varronis
sententia cum annis Christi connexionis, quam ex-
hibet Ricciolius lib. 2 Chronologiæ reformatæ a
pag. 105. His igitur stantibus, ac morte ejus initio
epochæ Christi affixa, anno circiter ætatis suæ 67
Biblia Hebraica in linguam Græcam vertere debu-
erit. Verum tanta Simeonis ætas non aliunde orta
videtur, quam ex errore, quo sanctus Simeon
cum altero Simone, cognomento Justo et summo
Judæorum sacerdote, Oniæ II patre, confundi-
tur; neque tantum illius senium speciem verissi-
mitudinis habet, merumque apparet commentum
Talmudicum. Quod autem ad S. Chrysostomum,
a

AUCTOR
J. B.

S. Simeon
nec fuit

E

P

c 70 interpre-
tibus unus;

a

AUCTORE
J. B.

a Cedreno laudatum in Opere de sex diebus, attinet; quemadmodum is sanctus Pater lucubrationum suarum multitudine clarissimus exstitit, ita quam plurimi eidem fetus spurii, e quorum aliquo (non enim in genuinis operibus ejus Simeon ex 12 interpretibus fuisse legitur) id ipsum Cedrenus excerpserit, adscripti fuere.

nec Hillelis
filius,

15 Ferunt præterea, S. Simeonem Hillelis, magni nominis rabbini, seu filium, seu discipulum fuisse: Genebrardus in Chronologia pag. 205 ad annum mundi 4020 ita scribit de utroque. Hillelis doctoris insignis LXXX discipuli. Clariore Jonathan, filius Uziel, ejus paraphrasis Chaldaica in Vetus Testamentum magna ex parte extat, et Simeon Justus, qui Christum ulnis excepit. Is est Simeon, in quo spiritum synagogæ Magnæ, qui erat Prophetico minor, communi major, defecisse, authores sunt Talmudici in Tract. " Pirke Abboth sectiones Patrum. " Rabbi Mose Ægyptius, non tantum discipulum, sed et filium Hillelis fuisse, scribit, Gamaliëlisque (ad ejus pedes Legem Paulus didicit) præceptorem, imo vero et patrem. Et paulo infra: Hillel, qui cxx annis vixit, pater Simeonis Justi, Simeon Gamaliëlis, Gamaliëlis Simeonis Junioris, magni facti, quod essent doctissimi simul et nobilissimi, de familia Davidica. Unde ex eorum consilio synagoga administratur centum totis annis usque ad Romanam captivitatem. " R. Abraham in Cabala historica Cozri. " Scipio Scambatus Archivorum Veteris Testamenti lib. 3 Titulo 1 pag. 417 de eodem Hillele hæc habet: Hujus Academiae (Babylonicæ) soboles Hillel, cum hic didicisset (Neardeæ) Hierosolyma se contulit, et illis Bethiræ principatum literarium præripuit; sectamque Phariseorum sic auxit, ut eam primus instituisse sit visus. Titulo vero 2, de Academia Hierosolymitana agens, jam recitatis hæc addit: Hierosolymitanam Academiam dicitur excitasse Nehemias, Esdras vero instituisse ac formasse, auxisse vero Jedoas, vel Jaddus, quem Simeonem Justum (de quo num. superiore) vocant Hebræi, in summam vero auditorum frequentiam, et uberioris doctrinæ copiam aduxisse duo illi Phariseorum principes feruntur Hillel et Samai. Mos autem hic fuit, ut prius Babylone diu doceret quis, ut sic denique sibi ad Hierosolymitanæ Academiae cathedram gradum præsterneret: Sic Hillel fecit.

aut discipulus; nec Gamaliëlis præceptor;

16 Hillelis et Sammai meminit S. Hieronymus in cap. 3 Isaïæ his verbis: Duas domus Nazaræi (qui ita Christum recipiunt, ut observationes Legis Veteris non amittant) duas familias interpretantur, Sammai et Hillel: ex quibus orti sunt Scribæ et Pharisei; quorum suscepit scholam Akibas. Et post pauca ita, qua floruerunt, ætatem explicat: Sammai igitur et Hillel non multo prius, quam nasceretur, orti sunt in Judæa, quorum prior " dissipator " interpretatur, sequens " prophanus: " eo quod per traditiones et δευτερόλογον suas Legis præcepta dissipaverit et maculaverit. Plura de Hillele vide apud Calmetum in Dictionario Biblico. Vero quod de S. Simeone aiunt, nimirum fuisse hunc Hillelis seu discipulum seu filium, haud satis apparet probabile: si enim paulo ante Christum Hillel, ut Hieronymus tradit, floruerit et Babylone, Hierosolymam anno circiter 30 ante Christum, ut alii tradunt, venerit; Simeon au-

tem, Christo nato jam senex fuerit, et propectæ quidem admodum verosimillime ætatis, senium ejus haud pati videtur, ut Hillelis discipulus fuisse dicatur: in hanc etiam rem ita scribit Cornelius Jansenius, Gandacensis episcopus, Commentariorum in Concordiam Evangelicam cap. 10 pag. 76. Porro Galatinus existimat, hunc Simeonem fuisse eum, qui a Judæis in Talmud dicitur Simeon Justus, de reliquis synagogæ magnæ, qui diviniorem illam Legis intelligentiam, quam Cabalam vocant, accepit a patribus, ejus multæ præclaræ sententiæ in Talmud continentur, eumque fuisse filium et discipulum Hillelis, magistrum vero Gamaliëlis illius (Vide cap. 22 §. 3 Act. Apost.) ad ejus pedes sedit Paulus. Verum ex libro Pirke Anoth, quem versum nobis Fagius quidam dedit, ex quo tamen libro ille suam desumit sententiam, videtur, quod dicit, falsum esse. Nam Simeon Justus in eo libro diu præcessisse dicitur Hillelem, ejus non ponitur aliquis discipulus nomine Simeon, sed Gamaliël quidam. Porro neque Simeonis nostri filius aut discipulus Gamaliël, Pauli in Lege Judaica aliquando præceptor, fuisse videtur; hunc enim Simeon religionem suam, si res ita sese habuisset, verisimillime imbuisset, et veri Messie adventum edocuisse.

17 S. Hippolyti episcopi et martyris Fragmentis, anno 1716 Hamburgi editis, inseritur Præfatio quedam in Pentateuchum Arabicum Ms., quæ pag. 35 hæc habet: Tradiditque illam (Legem Mosaicam) Nathan Shimeoni, seniori filio Shetach. Ipse est, qui portavit Messiam in ulnis suis. Simeon tradidit illam Jehudæ etc: Sub finem Pentateuchi illius notatur tempus, quo exaratus fuit in exemplari videlicet Huntingdoniano Annus millesimus octingentesimus octogesima nonus: Bodleianum vero exemplar scriptum dicitur Anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo Græco. At cum anni isti Græcorum epochæ seculo æræ Christianæ xvi jam inclinati respondeant, præfixæ Pentateucho isti Arabico Ms. Præfationis auctor magnam sibi fidem haud vindicat. Alios, ait Allatius in sua de Simeonum scriptis Diatriba pag. 3, Simeonem Justum confundere cum Simeone seu Simone, summo Judæorum Pontifice, et Simeonis Justi, de quo supra, ex Onia II nepote. At Simon hic eodem tempore floruit, quo Ptolemæus Philopator, ut ex lib. 3 Machab. (ut vocant) cap. 1 et 2 liquet: hujus autem regnum Olympiadi 139 illigat Eusebius in Chronico; Christi vero Nativitatem Olympiadi 194; atque adeo Simonem Pontificem, Oniæ II filium, Simonis, quem Justum dicunt, nepotem, Christo nato, dudum e vivis excessisse, oportuit. Falsa igitur sunt, vel incerta saltem, quæ de S. Simeone, si ea, quæ de eo Scriptura memorat, excipias, narrari videmus hactenus.

18 Singulare est, nec satis firmum, quod de eodem Celsus quidam, auctor quidem antiquus, sed ætatis haud satis exploratæ, tacentibus ceteris antiquis scriptoribus, tradit in Præfatione in alterationem Jasonis et Papisci ad Vigilium episcopum, quæ sub titulo, de Judaica incredulitate S. Cypriani Operibus, Venetiis anno 1728 editis, inter Opuscula S. Cypriano vulgo adscripta col. ccxv et seqq. inserta est. Ait in ea Celsus, S. Simeonem senem, oculorum usu fuisse aliquando privatum, sed tandem, suscepto in ulnas Christo, visum prodigiose recepisse. Simeon

nec idem, qui Simeon Pontifex, et Simeonis Justi nepos;

F

nec cecitate

A meon quoque Justus, *inquit col. ccxvii*, qui in cæcitate constitutus, divino monitus oraculo, audierat, se non ante moriturum, quam vidisset Christum; cum in templum, omni populo præsentem, Infantem secum inferret Mater, et in spiritu natum esse Christum, sensisset, acceptum in manus Puerum vidit, et benedicens Deum, in conspectu et auditu omnium dixit: "Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum." Simeon, quod cæcus audierat, evidenti veritate perfectum esse, annuntiabat; et veritatem, quam accepto lumine viderat, benedicendo palam Deum populo prædicabat. Ad hoc enim viderat, ut referret, et revelatione sua, quod Christus natus fuisset, ostenderet, et perfidi populi initia prima incredulitatis instrueret.

a Christo
liberatus.

19 Verum, si id miraculi in Simeone contigisset, an Lucas, qui nullas, licet paucas, in eundem laudes conjicit, rem ad Christi et Simeonis gloriam adeo illustrem tam alto involvisset silentio, ut ne tenue quidem cæcitatibus Simeonis, restituitque eidem oculorum usus vestigium exprimere voluisset, qui tamen paulo ante Zachariæ, cum Joannes circumcideretur, loquendi usum fuisse redditum, verbis satis apertis declaravit? Num id soli Celso innotuisset, aut solus ipse ex antiquis misisset in litteras? Sane id affirmanti Celso, qui id forte ex libris apocryphis hausit, indubitanter assentiri non ausim: minus vero id possunt, qui Simeonem sacerdotem fuisse, et sacerdotali munere functum, cum Christum, ut aiunt, Deo obtulit et parentibus ejus benedixit, autumant: cæci enim ab altaris munere arcebantur, ut legitur Leviticis cap. 21, §. 17 et seqq. Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu... Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo: vescetur tamen panibus, qui offeruntur in sanctuario, ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediar, nec accedat ad altare, quia maculam habet, et contaminare non debet sanctuarium meum. Fueritne autem Simeon sacerdos, an laicus, jam mox discutiam.

Fueritne sacerdos,

20 Simeonem, virum justum, Dei timentem ac spiritu prophetico præditum fuisse (Magdeburgenses enim, Brentium, et Calvinum, qui, ut quidem Feuardentius in cap. 15 lib. iv S. Irenei annotat, illum privatum homuncionem, senem delirum, obscuræ famæ, nulloque dignitatis aut officii nomine clarum facere non erubescunt, nihil moror) apud omnes recte sentientes in confesso est. Fueritne sacerdos, an laicus, non convenit inter eruditos. Qui laicum fuisse, existimant, Lucam non magis Simeonis sacerdotium, unde ejus de Messie in terras adventu testimonio non parum ponderis accessisset; quam ceteras ejus laudes, quas tamen accurate enumerat, silentio pressurum fuisse, contendunt; id etiam subinde addentes, Simeonis sacerdotium antiquos Patres, qui nusquam illius mentionem fecere, sibi cognitum haud habuisse. Sacerdosne, an laicus Simeon fuerit, inquit Benedictus XIV de Festis B. Mariæ Virginis, disputant eruditi; cumque S. Lucas nihil de ejus sa-

cerdotio commemoret, laicum fuisse, communis sententia est; licet pictores vulgo eum pingant sacerdotalibus vestibus indutum, ut fuse ostendit Ayala in Opere, quod inscripsit "Pictor Christianus eruditus" Matrili edito anno MDCCLII lib. 3 cap. 4. De Simeonis sacerdotio testes afferuntur Athanasius, Epiphanius et Cyrillus; sed opera, ex quibus ducuntur testimonia, sunt apocrypha. Theophylactus, ac Euthymius, Simeonem sacerdotem fuisse, negant. Ac Lucas ipsius quidem virtutes commemorat; sed cum de ejus sileat sacerdotio, verisimile fit, Simeonem non ea præditum fuisse dignitate. Theophylacti, *Acridae in Bulgaria episcopi, a Benedicto mox citati, et seculi xi scriptoris in cap. 2 Lucæ hæc verba sunt*: Non erat Simeon sacerdos, sed homo Deum amans, et expectans, quando veniat Christus consolaturus Hebræos, et liberaturus a servitute peccati, forte et ea, qua Romanis et Herodi serviebant. Euthymii vero, monachi Græci, qui seculo xii floruit, hæc: Non erat autem sacerdos, ut mihi interim videtur: alias enim et hoc omnino manifestasset Evangelista tamquam magnam Viri dignitatem. Leo Allatus in *Diatriba de Simeone Scriptis pag. 3 hæc etiam Photii, Constantinopolitani sec. ix patriarchæ, in Amphilochiis cap. 156 verba refert*: Non erat sacerdos Simeon, verum sacerdotum virtutibus longe præstabat. Proptereaque sacerdos, quæ de Puerulo Lex fieri præcipiebat, illis asserviebat: Quibus Photius, ut clarius ex textu Græco intelligitur, non solum negat, Simeonem fuisse sacerdotem; sed etiam in Oblatione Christi alium a Simeone quempiam, qui sacerdos reipsa erat, sacerdotali munere fuisse perfunctum, affirmat. Ceterum Theophylactus et Euthymius non paucos e recentioribus, quos hic recensere non necesse est, suæ de Simeone, non sacerdote, sententiæ consentientes sunt consecuti.

E

21 At vero, qui pro Simeonis sacerdotio pugnant, tum Lucam, tum antiquos Patres a se stare contendunt: Lucam quidem, cum de illo ait: Et benedixit illis (Mariæ et Joseph) et dixit ad Mariam etc.: quod benedicendi munus proprium fuerit sacerdotum secundum illud Numm. cap. 6 §. 23 et quatuor seqq.: Loquere Aaron et filiis ejus: sic benedicetis filiis Israël, et dicetis eis: Benedicat tibi Dominus: et custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi: et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et det tibi pacem. Invocabuntque nomen meum super filios Israël, et ego benedicam eis. Item quod de eodem dicat: Et ipse accepit in ulnas suas. Unde, inquit Beaux-amis Harmoniæ Evangelicæ tom. i, in cap. Lucæ 2 pag. 67, facile colligimus, Simeonem jus aliquod in rebus sacris habuisse. Cujus enim erat nisi sacerdotis, oblationem Deo factam excipere? Et templi ministerium obire in his, quæ templo offerebantur? Omnia sancta sanctis, ut docet Lex, et magna his in legibus observandis, ut et in cæteris, fuit Judææ morositas, ut scribit Tertullianus l. de præscript. contr. hæret. Solius enim sacerdotis erat, Deo sacrata accipere, et ejusdem in templo loqui. Subdit tamquam sibi patrocinantes S. Epiphanius lib. de Vita et exitu Prophetarum, S. Cyrillum Hierosolymitanum Oratione de Occursu Domini, S. Augustinum Serm. 2 de tempore. Verum de SS. Patrum dictis, quibus Simeoni sacerdotium vendicare

an laicus, discipulatur: rationibus

AUCTORE
J. B.

care visi sunt, infra agemus : hic ea solum, quæ ex Luca verbis ad adstruendam Simeoni sacerdotalem dignitatem afferuntur, paucis discutimus.

laud satis
efficacibus

22 Indubitatum quidem est e Luca, datum fuisse Simeoni, ut Christum in ulnas susciperet; sed fueritne id ipsi vi sacerdotalis, quo fungebatur, muneris; an contra ex singulari quodam, quo Deus vitæ ejus sanctimoniam, ingensque spectandi Messie desiderium munerare dignatus sit, beneficio concessum, non edicit Lucas; multo vero minus ait, a Simeone Christum Deo, quæ sacerdotalis functio fuisset, oblatum. Ait quidem §. 29: Et ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galileam, in civitatem suam Nazareth; sed Legem satisfecerint tradendo in Simeonis manus Christum, necne, tacet; ut hinc effici Simeonis sacerdotium nequeat. Simeon, fateor, non modo Christum in ulnas suscepit, sed Parentibus ejus etiam benedixit. Quid vero inde concludi volumus? Non enim sufficit ei, inquit Beauv-amis pag. 68 versa, tenere Parvulum, et ea, quæ de eo scripta erant, eloqui: sed et « benedixit Patri et Matri, εὐλόγησεν αὐ-

B « τὸν » Benedixit eos. Ita ut non tam illos laudasse, et pro ratione prolis extulisse, sed velut auctoritatem habens illos benedixisse intelligatur. Vult itaque Beauv-amis e benedictione, a Simeone Christi Parentibus impertita, consequi Simeonis sacerdotium: atqui varia benedictionum genera fuisse, ut creationis, sanctificationis, multiplicationis, et laudis, ipsemet Beauv-amis docet: unde igitur, non satis stabilito benedictionis, qua usus Simeon est, genere, hanc solennem et sacerdotalem fuisse, contendit? Plura enim, inquit Benedictus XIV de Festis B. Mariæ Virginis cap. 18, exempla in sacris Paginis suppetunt eorum, qui benedixerint, nec tamen fuerint sacerdotes; benedicere enim nihil aliud est, quam bene alicui precari. Lib. Regum 2, cap. 14 §. 22 Joab Davidi: Regum vero 3, cap. 8 §. 66 Israëlitz Salomoni, peracta dedicatione templi, benedixisse leguntur; priori quidem loco his verbis: Cadensque Joab super faciem suam in terram, adoravit et benedixit regi: his vero posteriori: Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi profecti sunt in tabernacula sua lætantes. Tobie cap. 9 Gabelus Tobie Juniori his verbis benedixit: Benedicat te Deus Israël, quia filius eos optimi viri et timentis Deum etc.

sili sacerdotium

23 Nec hactenus dictis obest, quod ex Epistola Pauli ad Hebræos cap. 7, §. 7 adducitur: Sine ulla autem contradictione, quod minus est, a meliore benedicatur. Non enim id de quolibet benedictionis genere intelligi debet: nam nec rege suo Davide Joab, nec Salomone Israëlitz meliores seu majores erant. Quod si, ut tis, qui Simeonis sacerdotium tuerentur, placet, Christi Parentibus benedicere Simeon potuit, tamquam sacerdos, quid ut secundum illorum adversarios eisdem benedicere potuit, tamquam Propheta? Propheta pariter et homines a Deo inspirati, inquit Calmetus in Dictionario Biblico ad vocem Benedictio, benedictionem etiam apprecabantur famulis et populo Dei; quibus sane appreciationibus redundant Psalmi. In extremis agentes Patriarchæ filios universamque familiam benedicebant; quam in rem citat Gen. cap. 27, ubi Isaac Jacob; cap. item Gen. 49, ubi Jacob filiis suis benedixit illisque futura prædicit; cap. 33 Deuteronomii, ubi moriturus Moyses duode-

cim tribubus Israël; et cap. 7 Tobie, ubi §. 7 D Juniori Tobie Raguel benedixit his verbis: Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es. Haud igitur Benedictio, quam Mariæ et Josepho Simeonem impertisse, Lucas ait, eos magnopere juvat, qui sacerdotali eum dignitate fuisse contendunt. Imo vero non desunt, quæ contrarium, stando Luca verbis; et rerum tunc gestarum adjunctis, suadere videantur. Ac primo quidem, obesse videtur Simeonis sacerdotio Luca de eodem altissimum, de quo num. 19 mentio facta est., silentium. Neque hic quidquam prodest, si, Lucam, licet non verbis, re tamen ipsa Simeonis sacerdotium luculente satis indicasse, dixeris, ipsa rerum a Simeone tunc gestarum commemoratione. Quamquam enim Lucas ea de Zacharia narraturus esset, unde, Zachariam sacerdotem fuisse, liquido appareret, de eodem tamen mox a principio cap. 1 diserte ait: Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias. Quid ni igitur et Simeonem diserte Lucas sacerdotem nominasset, etsi ea ipsum de Simeone, unde colligi ipsius sacerdotium possit, commemorasse, animo fingere tantisper voluerimus?

24 Et vero quænam tandem sunt S. Simeonis gesta, a Luca commemorata, quæ quidem ejus sacerdotium prodant? Num impertita ab eo Josepho et Mariæ benedictio? Atqui secus sese rem habere, jam diximus. Num Christi in ulnas susceptio? Sed quid si hæc, ut pariter dictum est, non sacerdotalis muneris functio, sed insignis, qua præditus erat Simeon, sanctimoniam, et vehementis, quo Messiam expectabat, desiderii præmium fuerit? Num tandem Christi oblatio, duorumve turturum aut columbarum, quarum altera, ut scribit Josephus lib. 3 Antiquitatum cap. 10, igni absumebatur, altera autem in cibum sacerdotibus cedebat, acceptio, prout Levitici cap. 12 his verbis præscribitur mulieri puerperæ: Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum et (si pauper fuerit) pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonium, et tradet sacerdoti, qui offerret illa coram Domino, et orabit pro ea? Verum hæcne a Simeone, an ab alio peracta sint, Lucas tacet, qui, postquam de Simeone et Anna loqui desiit, hæc dimittat generatim addit: Et ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galileam in civitatem suam Nazareth. Hæc de Luca silentio, quo nihil, unde Simeonis sacerdotium colligas, indicat, dicta, etsi eorum, qui sacerdotem illum fuisse autumant, sententiam non omnino convellant, eam tamen non parum enervare videntur. Pensamus porro Luca verba, et, nihilne sese in illis offerat, quod Simeonis sacerdotio refragetur, solius, si fieri potest, eruendæ veritatis studio ducti, indagemus.

25 Postquam impleti sunt dies purgationis ejus (Mariæ, inquit Lucas) secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino... Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon... Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus... et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis etc. Est, qui hæc verba Luca (Peltier apud Trivultianos ad annum 1705 tom. 1 pag. 170) ita interpretetur, ut eodem tempore, quo Messiam parentes sui in templum inducebant

nonnulli adstruunt:

F

contra terrarationes binæ.

A bant, Simeon Spiritus sancti ductu in ipso templi ingressu obviam illis sit factus, ibique pergerit, quæ a Simeone gesta Lucas scribit: hinc vero efficere conatur, quæcumque eo temporis articulo a Simeone gesta sunt, non nisi laici, non sacerdotis fuisse. Munere enim, inquit, sacerdotali sacerdotes, qui suis in ædibus et per civitatem Hierosolymitanam veste laica induti incedebant, cum in templum venirent, non prius fungebantur, quam vestes laicas in templum ingressi cum sacerdotalibus commutassent, seque, ut Lege cautum erat, lavissent. Hoc autem Flavius Josephus lib. 6, cap. 6 de Bello Judaico saltem ex parte testari videtur, dum ait: Vestibus tantum utebantur (extra templum sacerdotes) plebeis: quoniam sacerdotali solus, qui sacra celebrabat, amiciebatur. Necdum etiam beata Virgo ex Legis prescripto purgata erat, necdum oblationem suam in manus sacerdoti tradiderat, inquit Pelletierus, sed mox, a Simeonis et Christi parentum in templum adventu Simeon Christum in ulnas suscepit, et in Dei laudes erupit: ut adeo nihil a Simeone sit gestum, quod sacerdotis, non laici, fuisse, merito dixeris. Ita ille.

quisque Pelletierus,

26 Verum Honoratus a S. Maria Observationum in leges artis critica, ejusque usum tom. 2, lib. 3, dissertatione 5, art. 2, § 2 fatetur quidem, Simeonem secundum Lucæ verba in templum venisse; negat tamen abs Luca dici, Simeonem in id venisse, postquam eodem jam venerant Christi parentes: imo vero contendit, Simeonis in templum adventum Christi parentum in illud adventum sufficienti temporis spatio præcessisse, ut et vestibus sacerdotalibus sese prius induere, ceteraque, quæ ad sui ministerii obeundum munus Lege præscripta erant, peragere potuerit, quam Christus in templum a parentibus indueretur. Dicti sui testem Honoratus facit Juvenum, Christianum seculi quarti poetam, qui Simeonem, jam templum ingressum, Christi in illud adventum sensit, ac continuo in ulnas illum suscepisse, canere videtur sequentibus versiculis lib. 1 Historiæ Evangelicæ:

Isque ubi curvato defessus corpore templum
Jam gravior penetrat, monuit quod Spiritus auctor,

Ecce simul parvum gremio Genetricis Iesum

C Ad templum sensit venisse: trementibus ulnis
Acceptit Puerum, lætæque hæc dicta profatur:

Nunc nunc me famulum etc.

Clariora sunt, quæ pariter in rem suam Honoratus partim saltem adducit, Timothei, presbyteri Hierosolymitani, verba, quæ tom. 5 Lugdunensis Bibliothecæ Patrum pag. 1215 sic habent: Quum domi Simeon sederet, et per se solus precaretur, ut ad eventum dumtaxat perveniret divinum responsum, in animo habuit Joseph et Virgo puellum Iesum in templum inferre, ut pro eo facerent, quemadmodum ex Lege consuetum erat. Ac statim Spiritus sanctus oraculi præstitit eventum, hoc est, excitavit Spiritus Simeonem, dicens: Exurge, Senex, quid dormis? Venit tempus responsi. Vade ocyus, venit enim, qui te dimittat: excute sepulchra, para sepulturam, præscribe iis, qui domi tuæ sunt, quid fieri velis post mortem: venit, qui te dimittat, venit Emmanuel, celeriter in templum transi: in sacro sunt res sacræ, de sacro partu prophetiza.

Octobris Tomus IV.

27 Quid vero tum? Unde Simeon, inquit Timotheus, celerissimo cursu cupiditatis tamquam ala, et a Spiritu sublevatus, ante Josephum et Virginem venit in templum. Et paulo post: Antequam Josephus et Virgo, Simeon in templum venit, et quum antevertisset, juxta adyta atque penetralia stetit, expectans revelationem Spiritus sancti. Hæc quidem Timothei verba; quæ Honorato favere, nullus non abnuat; mihi tamen Simeonem hoc modo templum adisse, non persuadent; tum quod minus accurate dicta videantur, tum quod auctoris sint haud satis antiqui: primum quidem mihi idcirco apparet, quod Timotheus laudatus oratoris seu concionaloris potius, quam accurati rerum gestarum narratoris partes agat; est enim lucubrationi hic titulus: De propheta Simeone oratio: oratoribus autem et concionaloribus non raro accidit, ut rerum, quas tractant, præcipua capita, secundum se quidem certa et indubitata, adjunctis ornent, quæ vel ipsi sibi fingunt, vel rem ipsam verosimiliter comitata esse, sibi imaginantur. Fecisse id hoc loci Timotheum, suadent adjuncta imprimis ea, quæ supra de Spiritu Sancto, Senem Prophetam, ut templum adiret, excitante, narravit. Suadent etiam, quæ de Simeone et B. Virgine narrare pergit Timotheus; quæ, quamquam certo falsi arguere nolim, quod tamen singularia sint, nec ab aliis antiquis, quod sciam, memorata, suspectæ saltem mihi fidei non esse, non possunt.

28 Sunt vero hæc: Quum autem in templo Simeon esset, si Timotheum audias, vidit multas matres cum suis infantibus ingredienti in templum, ut solverent hostiam nomine purificationis, cum quibus permixta erat etiam ea, quæ honorandum et sordium expertem Partum portabat. At justus ille Simeon huc illuc oculos circumferens, ut vidit multas matres, privata humane conditionis specie præditas, solam autem Virginem multo ac divino lumine circumfusam, incurrens separavit ab ea reliquas matres, clamans ac dicens coram omnibus: Date mihi locum, ut præhendam, quem desidero, vidi eum, a quo antè visus sum: vidi, et revivuit atque recreatus est spiritus meus. Quid vos conditione ancillæ cum libera atque Domina incertatis? Quid parvos liberos vestros ad altare offertis? Huc oculos convertite, et huic eos Puero offerte, qui Abrahamo antiquior est. Sane hic, quæcumque demum sint, Timotheus narrat, quæ nec e sacris paginis, nec antiquorum Patrum legitimis testimoniis probatum iri existimo. Porro, quod ad ipsum Timotheum spectat, fatetur Lugdunensis Bibliothecæ Patrum editor in Auctorum et Opusculorum serie, tom. 5 præfixa, certi nihil de ejus ætate statui posse: Coccinius, ut ait, seculi sexti anno 70; ipse autem seculo quarto Timotheum illigavit, quod invenies (eo seculo) plures qui idem argumentum de Simeone, Christo occurrente, tractarunt; sed neque hoc omnino ex vero dictum esse, infra ostensuri sumus. Tolerabilem interim putamus, quam Pelletieri ratiocinio Honoratus adhibet, stando Lucæ verbis, solutionem. Nunc alia, ab eodem Pelletiero in Simeonis sacerdotium mota, audiamus.

29 Alterum, quo convellere S. Simeonis sacerdotium Pelletierus nititur, ratiocinium huc fere recidit: Simeon si sacerdos fuisset, non inspiratione divina monitus in templum venisset, sed

AUCTOR
J. B.
S. Simeonem
sacerdotio

E

designatum
non fuisse,

F

ostendere nititur,

6 citra

AUCTORE
J. B.

citra illam; cum offerendus erat Christus, in illo inventus fuisset: at Simeon nonnisi inspiratione divina monitus in templum venit; nec citra illam in templo inventus fuit: igitur Simeon sacerdos non fuit. Divina inspiratione monitum in templum venisse S. Simeonem, Lucas ipse testatur, inquit: Et venit in spiritu in templum; quibus Vulgatæ verbis textus Græcus ad amussim quoque respondet. Reliquum igitur est, ut priorem ratiocinii, mox adducti, partem potissimum examinemus. Verum, priusquam id facere instituamus, pauca prius de sacerdotum Israëlitarum in templo Domino ministrantium consuetudinibus observanda veniunt. David rex, ut legitur lib. 1 Paralip. cap. 24, sacerdotes Israëlitos divisit in duas classes, quarum altera filios Eleazari, altera filios Ithamar continebat: priorem porro, utpote numerosiorem, distinxit in familias sedecim; posteriorem in familias octo: quamquam autem omnes ministerio Domini consecrati essent, munere tamen suo nonnisi per vices statisque temporibus fungebantur: Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, et Ahimelech de

B filiis Ithamar secundum vices suas et ministerium. Quæ quidem divisio, ait Flavius Josephus Antiq. Judaic. lib. 7, cap. xi, durat usque in hodiernam diem. Neque illam duntaxat divisionem, sed et antiquum morem, quo per vices Domino sacerdotes in templo ministrabant, ad Christum usque tenuisse, colligitur ex Lucæ 1, ubi de Zacharia 5: Fuit... sacerdos quidam, nomine Zacharias, de vice Abia; et 8: Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum. Cum vero officio sacerdotali fungeretur, stabilem dierum saltem aliquot in templo mansionem sacerdotes habuisse, nec, nisi peracto in templo ministerio, domum suam rediisse, pariter innuunt, quæ ibidem 5. 23 de Zacharia sequuntur: Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Durasse autem sacerdotum in templo ministerium per octiduum seu a Sabbato ad Sabbatum, passim scriptores colligunt ex his lib. 2 Paralip. cap. 23 5. 8 verbis: Fecerunt ergo levitæ, et universus Juda juxta omnia, quæ præceperat Joiada pontifex: et assumpserunt singuli viros, qui sub se erant, et veniebant per ordinem Sabbati, cum his, qui impleverant Sabbatum, et egressuri erant. Siquidem Joiada pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant: idemque affirmat Josephus loco proxime cit. his verbis: Instituitque (David) ut una co-gnatio ministraret Deo per dies octo, a Sabbato usque ad Sabbatum.

probabiliores appa-
rent.

30 His vero ita constitutis, ut ad Pelletieri ratiocinium redeamus, necesse est, ut, si Simeon sacerdotali officio functus est, cum Christum in ulnas suscepit, vel ex eorum sacerdotum numero et partitione fuerit, quorum tunc vices erant in templo Deo ministrandi; vel contra ex eorum numero et partitione, qui tum temporis antiquæ consuetudinis vi a templi ministerio tantisper, dum suæ redirent vices, arcebantur. Neutrū autem videtur dici posse: si enim primum dixeris; videtur consequi, ut Simeon vi officii sui una cum ceteris vicis suæ sacerdotibus constanter in templo Domini versatus fuerit; cum tamen divina inspiratione monitus vel ex ædibus suis vel certe ex civitate in templum sese contulerit, ut e Luca dictum est supra. Quod si secundum asserere placuerit; qui Simeoni aut per antiquam consuetudinem, aut per alterius fami-

liæ sacerdotis, quibus tum temporis rerum sacrarum incumberebat administratio, sacerdotali officio fungi licuisset? Quod si nulla fuerit sacerdotalis, quam Simeon in templo exercuerit, functio, quo tandem ex capite sacerdotio ejus, qui quidem huic patrocinantur, idoneum subsidium quærent? Neque porro hic juvat cum Honorato contendere, Simeonem prius in templum venisse, quam Christus illuc a Parentibus introduceretur, sive enim id prius, sive serius, sive eodem temporis articulo acciderit, locum perinde habet, quæ hic est mota difficultas, ut consideranti patebit. Vel una hæc ratio facit, ut, stando Lucæ verbis, sententiam, qua Simeon non sacerdos, sed laicus fuisse statuitur, præ contraria probabilior mihi videatur. Pingi consuevisse S. Simeonem sacerdotalibus vestibus indutum, non quidem abnuo; sed nec pictoribus hic mihi litem intendere necessarium arbitror: audiendi tamen, seu Græci, seu Latini antiqui Patres, si qui forte fuerint, qui S. Simeonem sacerdotem fuisse tradiderint, quod sequenti § fiet.

§ III. Num ex certis monumentis Patribusque antiquis probetur S. Simeonis sacerdotium,

Quibus S. Simeonis sacerdotium non placet, non modo, id e sacris paginis ostendi posse, sed etiam ex antiquorum Patrum testimoniis, ut supra dictum est, inficias eunt: si nempe de antiquorum Patrum testimoniis, quæ quidem certa atque indubitata sint, agatur: non enim desunt monumenta, et quidem satis antiqua, sed adulterina et spuria, vel auctoritatis saltem admodum dubiæ, in quibus Simeoni sacerdotium adstruitur. Ac in primis quidem inter Monumenta SS. Patrum orthodoxographa, Basilæ sub annum 1569 typis edita, tom. 1 a pag. 71 Proto-evangelium Græce et Latine occurrit, S. Jacobi Minoris nomine insignitum, quod sub finem hæc de Simeone habet: Post tres autem dies (a Zachariæ, S. Joannis Baptistæ patris, in templo, ut ibi præmittitur, Herodis jussu occisi, nece) concilium fecere sacerdotes, quem pro illo substituerent. Et venit sors super Simeon. Ille enim oraculo fuerat certificatus a Spiritu sancto, quod non videret mortem, nisi videret Christum in carne. Postrema autem verba, quo de Simeone hic sermo sit, aperte indicant; sed eadem opera, quam sint spuria, produnt: cum enim, ut ibi refertur, Christo jam dato, hæc contigisse debuerint, atque eo tempore; quo ab Herode Innocentes pueri ad necem quærebantur, quis credat, sacerdotes Judæorum ea de causa Zachariæ Simeonem pontificem substituisse, quod divino oraculo, non visurum se mortem, nisi Christum in carne vidisset, fuisset edoctus? Cetera, quæ illud Proto-evangelium continet, non lubet attingere; id monuisse contentus, recenseri inter scriptores ecclesiasticos ab Hieronymo Jacobum Minorem: sed de ejus scriptis hæc tantum apud Hieronymum legi: Unam tantum scripsit Epistolam, quæ de septem Catholicis est, quæ ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur: licet paulatim, tempore procedente, obtinuerit auctoritatem: ipsum vero hoc Evangelium

A *lium*, (hoc tamen indignum nomine) jam pridem in Concilio Romano, anno, ut notat Labbeus 494 celebrato, a Gelasio Papa inter scripturas apocryphas fuisse amandatum; de quo pariter Innocentius sub seculi quinti initium ad Eusebium episcopum Tolosanum in hunc modum scripserat: Cetera autem, quæ vel sub nomine Matthiæ sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri et Johannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt [vel sub nomine Andræ, quæ a Nexocharide et Leonida philosophis] vel sub nomine Thomæ, et si quæ sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.

et Nicodemi
Pseudo-
evangelia ni-
hil prosunt.

32 Ejusdem farinae est alterum Pseudo-evangelium de Passione et Resurrectione Christi, quod ineptus barbarusque fabulator quidam Nicodemi, Christi discipuli, nomine impudenter obtrusit. Easat pariter id inter Monumenta SS. Patrum orthodoxographa tom. 2 a pag. 643, inventumque notatur ad calcem a Theodosio Magno Hierosolymis in prætorio Pilati (cujus fictitius ad Tiberium Actis multa, quæ in illo leguntur,

B hausta videntur) in codicibus publicis; et anno xix Tiberii cæsaris a Nicodemus litteris Hebraicis exaratum. Id vero Simeoni sacerdotium tribuit his verbis pag. 652: Et quando suscepit eum (Christum) magnus sacerdos Simeon etc. Et paulo post in illo Joseph ab Arimathæa ita Judæorum sacerdotes alloquitur: Nunc audite me, quia omnes cognovimus beatum Simeonem sacerdotem magnum, qui suscepit in manibus suis Infantem in templo. Sed quam nihili hæc habenda sint, docent pueriles fabulæ, scripto illi insertæ: ut ex una de reliquis judicium ferat, audi, quid de Charino et Lenthio, ipsius Simeonis, si credere lubet, filii, verbis mox citatis ibidem proxime sequatur. Joseph ab Arimathæa, ut Annæ et Caiphæ eorumque sequacibus Christi resurrectionem persuadeat, testes adducit varios, a mortuis suscitatos, atque hos inter Charinum et Lenthium, Simeonis filios, qui Arimathæa inter vivos vivi versabantur. Adsunt coram Anna et Caipha accessiti Hierosolymam Charinus et Lenthius; adjuratique, ut dicerent, quid apud inferos vidissent, et qui ad vitam revocati essent, uterque eorum, quæ videbat, bene longam historiam in litteras separatim mittit, convenienter adeo, ut ne littera quidem alter ab altero dissideret. Ut autem scripta sua sacerdotibus tradidere, subito candore perfusi sunt, nec visi amplius. Verum his ad probandum Simeonis sacerdotium, nemo, ut reor, cordatus utetur: videamus itaque, num sinceriora sint, quæ pro Simeonis sacerdotio e SS. Patribus offerri queunt?

nec fuit se-
culo tertio
S. Metho-
dus.

33 Antiquissimus Patrum, quos veluti sacerdotio Simeonis suffragantes in medium afferunt, quod quidem sciant, S. Methodius est, quem alii, sub Decio et Valeriano, alii, sub Diocletiano in Græcia martyrio coronatum, scribunt. Edidit Combesius sub ejus nomine Orationem seu Homiliam, cui titulus: Methodii episcopi Patrensis et martyris Symeone et Anna, quo die Domino in templo occurrerunt: ac de sancta Deipara. Porro allocutio quædam in ea pag. 411 et seq. occurrit Deiparæ ad S. Simeonem, quæ præter plures, quos illa in Simeonem congerit, laudum titulos, sacerdotum optimum eundem appellat; pag. vero 424 Methodius ipse virum Legis doctorem, sacerdotio honoratum, prophetia illustrem: ut dubium non sit, quin ex S. Metho-

dii sententia, si modo genuina est ea seu Oratio seu Homilia, sacerdos Simeon fuerit. Pro genuina eam habuit Henschenius tom. 1 Februarii in Commentario de Hypapante Domini et Purificatione B. Mariæ: alii autem illam pro S. Methodii, Patrensis episcopi et martyris, fuisse habere renunt; quos inter Stillingus numerandus venit in Sylloge de eodem episcopo tom. v Septembris pag. 773: movit Stillingum tum modus loquendi, quem auctor Orationis illius tenuit, Methodio, cujus ætate neque vox *ὑπαπαντ*, neque vox *ἁγιασμα* erant in usu, recentior; tum ipse Orationis stilus, a Methodii nitore et puritate longe desciscens. Stillingo præceperat ipsemet, re accuratius perpensa, Henschenius tom. 2 Junii ad diem xiv ejusdem mensis pag. 973 in Analectis de S. Methodio, patriarcha Constantinopolitano, qui seculo x floruit, ita scribens: Nec dubitamus, quin varia ejus monumenta adhuc lateant in variis Bibliothecis: quædam etiam prodierint sub nomine S. Methodii episcopi ac martyris in Lycia tertio seculo, quæ revera hujus Constantinopolitani sunt; atque imprimis ea, quam 2 Februarii allegavi ex Combesio, de Simeone et Anna (supple) Oratio. Eodem fere, quo Stillingus, modo de ea Oratione loquitur D. Remigius Ceillier in auctorum sacrorum et ecclesiasticorum Historia tom. 4 pag 35 et seq. Quod vero ait Combesius, ex exordio Orationis illius, in quo nimirum ejus auctor Symposiacorum (Symposium autem seu Convivium virginum procul dubio senior Methodius scripsit) velut a se compositorum, mentionem facit, liquere, eundem esse utrumque auctorem, a Stillingo mox laudato eversum vide. Non est itaque, cur senior Methodius S. Simeonis sacerdotium agnovisse et tradidisse dicatur; esto, id verum sit de Methodio longe juniore seu Constantinopolitano, scriptore seculi x.

AUCTOR
J. B.

34 Seculo iv Athanasius, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Amphilochius, et Augustinus floruerunt. Ex his Athanasius, Alexandrinus archiepiscopus, de Communi essentia Patris, Filii, et Spiritus sancti Simeonis sacerdotio suffragari videtur sequentibus verbis: Cum unigenitus Dominus noster Jesus Christus editus est ab nuptialis congressus experte puella, novum partus modum in orbem, novamque feturam in vitam introducens, illum adhuc infantulum gestat Mater et offert Simeoni sacerdoti. His Cyrillus: Audite hæc omnes gentes: audi Israël: Dominus Deus tuus hic est, quem tuus ego sacerdos Symeon in ulnis gestans, populum in templo contestans, magna voce prædico. Ita hic in Homilia in Occursum Domini apud Operum S. Cyrilli Benedictinum editorem, Antonium Augustinum Toutteum pag. 366: apud Combesium vero Amphilochius Oratione iv in Deiparam sic habet: Vos autem, dilectissimi, optime convenistis, ut et hodierna die Dei sacramenta honoretis, utque divinis Scripturis prænuntiata consideretis: nempe Virginem mire excellenti, divineque decenti ratione intemeratis ulnis gestantem illum, qui verbo omnia portat: Senem vero sacerdotem, cupienti animo accedentem, quo expectatum Pontificem Dominumque suscipiat. Augustinus sermone 128, in Natali Domini 12, alias de tempore 13 apud novissimos Operum ejus editores Benedictinos tom. 5 col. 231 in Appendice ita loquitur de Simeone: In templo præsentabatur (Dominus)

E Patribus
seculi quarti

F

AUCTORE
J. B.

minus) et a Simeone sene famoso, annoso, probato, coronato (mitra nimirum, ut quidam interpretantur, sacerdotali) agnoscebatur. En Patrum supra nominatorum, qui seculo IV floruerunt, quibus Simeonis sacerdotio parere videntur, verba: S. Epiphanius verba, eo quod paulo plura de Simeone complectuntur, tantisper recitare distuli: en quoque illa.

Simeonis
sacerdotio

35 S. Epiphanius Constantiae sive Salaminis in Cypro episcopus, a Pelavio editus, tom. 2 pag. 250 in Vitis Prophetarum hæc de Simeone scribit: Simeon sacerdos ex Aaronis tribu "responsum" accepit a Spiritu sancto, non visurum se mortem, "donec videret Christum Dominum" in carne. Hic est, qui Dominum suis ulnis gestavit, ac Deum glorificavit discens: "Viderunt oculi" mei salutare tuum. Nunc dimittis servum "tuum, Domine, secundum verbum tuum in" pace. "Mortuus demum prope sacerdotes admodum senex ac plenus dierum sepultus est; ἐτάφη Græce, non, ut Baronius scribit ad annum Christi I, supremo honore a sacerdotibus privatus, quod eorum ob annunciatum palam Christi adventum in se odium invidiamque concitaverat. Exhibitis horum Patrum verbis, nunc, quid ex eis concludi possit, inquiramus. Ac primo quidem, quod ad S. Athanasium spectat, aperte quidem verba sub ejus nomine supra recitata Simeoni sacerdotium adstruunt: nihil inde tamen certi hæc in re erui potest: sitne enim Tractatus de communi essentia Patris, Filii et Spiritus sancti revera Athanasii, non leves sunt dubitandi causæ, ut aiunt in Monito, ad illum prævio, Athanasianorum Operum editores Benedictini, tum quod liber ille apud veteres nusquam sciatur Athanasio adscriptus, tum quod in antiquis Athanasii Collectionibus Mss. desideretur, et si stilus ejus Athanasiano in libro de Incarnatione sit satis affinis. Ceillier non tantum in eo Tractatu Athanasianam methodum, sed etiam dicendi vim desiderat tom. 5 Auctorum sacrorum pag. 275. Tillemontius tom. 8 Monumentorum ecclesiasticorum pag. 724 observat, Origenem in eo Tractatu male haberi, cujus tamen alibi honorifice Athanasius meminit; variosque item laudat scriptores, quibus tractatus ille vel fictitius vel dubius est.

S. Athanasius;

36 Combefisius part. I Auctarii Patrum Græcorum Orationem in Christi Domini Occursum sub ejusdem Athanasii nomine edidit in qua Simeon pag. 511 Legi, in littera positæ, seu veteri, præclare admodum ac religiose ministrasse dicitur, quo quidem sacerdotale ejus ministerium innui videtur: Græce enim legitur: ἐκτελέσας: vocæ autem ἱερατικῆς, ut inquit Cangius in Glossario ad scriptores mediæ et infimæ Græcitalis, apud Christianos Græcos sacros Ecclesiæ ministros, qui officiis ecclesiasticis suam operam impendunt, significavit olim quidem generalius: nunc autem restrictius, ut solum fere sacerdotem modo significet. Verum multo minus hæc Oratio, quam laudatus modo de trium dicinarum Personarum communi essentia Tractatus, quidquid in contrarium Combefisius moveat, S. Athanasio videtur posse attribui. Seculo tantum quinto Nestorius et Eutyches errorum suorum virus evomere; quorum tamen hæreticorum in ea Oratione expressa habetur mentio. Combefisius, Eutychis et Nestorii nomina a librario postmodum adjecta fuisse contendit; eo quod, facta Simonis et Marcionis, Arii et Sabellii mentione, quibus dein Eutyches et Nestorius adduntur, priorum quidem hæreses seu errores mox recenseantur.

sed de Eutychis et Nestorii erroribus nulla mentio fiat. Quid ea dote sentiant Operum S. Athanasii editores Benedictini, uti et de Combefisii ratione, ob quam Eutychis et Nestorii nomina hic esse adjectitia putat, dixi num. 12.

37 Nec sane satis certum apparet, quod ait Combefisius, nusquam in ea Oratione Eutychis et Nestorii, perstringi hæreses. En, de quibus hic disceptatio est, et quibus hic Lucæ textus: "Ecce" hic positus est. . . in signum, cui contradicetur "explicatur, apud editores Benedictinos Orationis verba. Contradicit enim atque disceptabit de illo, ac de doctrina, eum spectante, Simon adversus Marcionem, Arius adversus Sabellium, Eutyches adversus Nestorium, utrique adversus Ecclesiam; ita ut alii quidem solam ipsi Deitatem, alii carnem solam tribuant: alii creatum, ac paternæ substantiæ alienum, inducant, alii Verbum quoddam hypostasi ac substantia vacuum, nihilque discrepans ab eo, quod per prolationem effunditur: alii ejus per carnem adventum phantasmam esse suggerant; alii carnem nullatenus sumpsisse contendunt, aut assumpsisse quidem, sed inanimatam atque inefficacem, aut animam habentem, sed mente ac ratione destitutam. Demum alii alio modo hæsitabant ac contradicent, singulis arbitratu suo, quæ ipsum spectant, determinantibus. Verbis istis non modo quatuor hæresiarcharum Simonis, Marcionis, Arii et Sabellii, sed Apollinaris etiam, contententis animam sine mente assumptam, licet non nominetur, notari errores, fatetur Combefisius: at sicut variorum illic notari videri possunt errores; ita verbis illis: Ita ut alii quidem solam ipsi Deitatem, alii solam carnem tribuant, Eutychis et Nestorii forte notantur errores.

38 Primum enim Eutyches, alterum Nestorius, fecit: Nam (ut habet Breviculus Historiæ Eutychianistarum apud Sirmondum tom. I Variorum Operum Venetiis anno 1728 eccusorum col. 432) Nestorius ante quinquaginta et octo fere annos, Photini et Pauli Samosatani secutus errorem, Oasitano exilio meruit relegari, dicendo, sicut ab autoribus suis didicit, Christum Dominum nostrum hominem tantummodo de Virgine Maria esse progenitum. Contra quem Eutyches, post annos non plurimos, æstimans disputandum, rectum tramitem tenere nesciens offendit, et in Apollinaris est raptus insaniam, in hæc Verba prorumpens, quibus assereret, Christum verum hominem non fuisse, nec in eo duas naturas esse credendas, sed unam dumtaxat Dei Verbi, verumtamen incarnatam. Quam quidem non esse hominis perhibuit, sed humanam, ut similitudo magis humani corporis, quam ipsa veritas suaderetur. Col. vero sequenti hæc iterum leguntur: Nam fidentissime dicunt (Eutychiani) rem ineptam, rem etiam stolidis execrandam, ante unionem, id est, incarnationem, duas dici debere naturas; post vero unam Dei Verbi tantum incarnatam. De utroque etiam sic scribit Leo Papa Epist. 12 ad Pulcheriam augustam apud Labbe tom. IV Conciliorum col. 29: Et quantum Nestorius a veritate excidit, dum Christum de Matre Virgine solum hominem asserit natum; tantum etiam hic (Eutyches) a Catholico tramite deviat, qui de eadem Virgine non nostram credit editam esse substantiam, volens utique, eam solius Deitatis intelligi, ut, quod formam servi gessit, et quod nostri similis fuit atque conformis, quedam nostræ naturæ fuerit imago, non veritas. Illaque sicut Apollinaris hæresis, licet hunc non nominet

A *nominet, verbis supra recitatis perstringitur, ita iisdem Eutychis et Nestorii hæreses perstringi potuerunt, licet nec hi nominentur.*

non S. Cyrillus,

39 Addunt denique Athanasii editores : Indicant etiam posteriora Nestorio tempora, quæ num. 16 (apud illos) leguntur : beatam scilicet Virginem ubique terrarum (secundum Græcum textum, ab omni creatura) Θεοτόκον vocari. Quæ vox Athanasio licet ignota non fuerit : at non erat ejus ævo ubique terrarum evulgata, nondum damnato Nestorio, qui Χριστοτόκον appellandam censebat : præterea, inquit, vi magis, quam copia verborum Athanasius pollet : Orationis autem prædictæ auctor ad importunitatem usque verba multiplicat, variasque, quas enumerant, voces adhibet Athanasio minime familiares ; ut vel hinc subditiua censi possit. Sufficiunt ista opinor, ut S. Athanasii pro S. Simeonis sacerdotio testimonium vel pro fictitio, vel saltem pro dubio atque suspecto habeatur. Venio nunc ad S. Cyrillum, Hierosolymitanum archiepiscopum, cujus pariter nomine Homilia quædam circumfertur, ab Antonio Toutte S. Cyrilli Operibus a pag. 362 inserta hoc titulo : Incerti sub nomine S. Cyrilli Hierosolymitani Homilia in Occursum Domini.

B Verba ejus, quibus Simeoni sacerdotium tribuitur, habes supra num. 34. Sed meritorie Toutteus Homiliam illam Cyrillo adjudicat ? Sane haud contemnendæ videntur, quibus ductus id facit, rationes. Earum prima est, quod laudatæ Homiliæ auctor subinde imitetur atque exscribat Gregorium Nazianzenum, Cyrillo juniorem. Non unum porro hujus rei specimen in Annotatis in dictam Homiliam profert. Unum ex his accipe : ita Homilia terminatur : Omnes cum hodie, cum semper, quæ hujus festivitatis propria sunt, clameamus. Cum angelis choros ducamus, cum pastoribus luce perfundamur, cum Magis adoremus, cum Bethleem festum agamus diem : una cum Sione occurramus. Cum templo sanctificemur. Cum Virgine magnificantes exultemus. Cum Joseph offeramus, velut duo * turtures, corpus et animam. Cum Symeone Christum ulnis amplectamur, et cum Anna nostra ex parte confiteamur, ut æternorum bonorum aditu admittamur gratia et miserationibus et benignitate Domini et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, cum C Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

* l. duos

Hierosolymitanus episcopus,

40 Quid Gregorius Nazianzenus huic simile ? Oratione 38, quæ de Christi Nativitate est, ita habet : Descriptionem reverere, propter quam in cælis ipse describeris, et nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es : et parvam illam Bethleem honora quæ te in paradysum reduxit... Cum stella eurre : cum Magis dona offer, aurum, thus et myrrham, ut regi et Deo, et tua causa mortuo : cum pastoribus Deum laudibus celebra : cum angelis tripudia. Idem rursus ita Oratione 39, seu in sancta Lumina, id est, de Baptismo Christi : Cum stella cucurrimus, cum Magis adoravimus, cum pastoribus luce circumfusi fuimus, cum angelis divinam gloriam predicavimus, cum Simeone in ulna accepimus, cum Anna illa, inquam, vetula et casta femina confessi sumus. Hæc, quæ, quin Gregorii Nazianzeni sint, nullus in dubium revocat, confer cum Homiliæ mox laudatæ verbis, et, ut opinor, accommodatæ ad scopum suum Homiliæ istius auctorem e Gregorio hæc mutuatum aut hunc saltem imitatum esse, non immerito censuisse Toutteum, fateberis : quamquam

nec alia desint, quibus ille sententiam suam probare nititur. Sunt autem fere hæc : Apollinaristarum et Nestorianorum hæreticorum, quæ in ea Homilia occurrit, confutatio, stili a Cyrilliano discrepantia : festum vero Hypapantes seculo quarto nondum fuisse institutum ; multo autem minus cereorum in ea solemnitate gestationem, cujus, velut jam usu confirmatæ, Homiliæ auctor meminit.

41 De Amphiloquio Iconiensi, cujus ex Oratione 4, quæ de Deipara et Simeone inscribitur, verba num. 34 dedi, non opus est multa dicere : liquet enim, illius auctorem, quisquis demum fuerit, scripsisse post Nestorianam hæresim natam, quippe quam auctor ille nominatim confutat : Quod si quis ; inquit, censetur nomine Christianus, fertque moleste, et, velut vertigine correptus, dolet ad divæ Virginis dignitatem illam, clarissimumque et proprium Deiparæ (quam Christiparæ tantum nomine dignabatur Nestorius) nomen, vane is et ementitæ sanctitatis sibi appellationem, qui dogmatis dissentiat, blanditur etc : ac tandem ad propositum sibi dictionis suæ argumentum rediens Nestorii nominatim his verbis meminit : Rursus porro, dilecti, in seipsum sermonem reducamus ; eo interim valere jussu, qui adversus nefandum Nestorium et iisdem cum eo moribus depugnat. Et vero vel ipse Combefisius laudatam Orationem, etsi Amphiloquii Iconiensis nomine a se editam, alterius esse suspicatus est, cum ejus titulo in margine adjecerit : Forte alterius. Quod ad S. Augustinum spectat, etsi Sermo num. 34 citatus pro genuino habeatur, multum tamen inde præsidii pro Simeonis sacerdotio non habetur, cum citata ex illo verba variam pati interpretationem possint : nec enim est, cur per vocem coronato mitra sacerdotali redimitus certo intelligi debeat : imo verosimilius mihi longe apparet, cum Simeonem non modo senem coronatum, sed prius etiam annosum et probatum S. Augustinus dixerit, ita accipienda ejus verba esse, ut iis significatum dumtaxat voluerit, Simeonem jam grandi ætate, cum diu jam ardentemque Messie adventum expectasset, atque adeo ejus probata esset in expectando Messia fides atque constantia, tandem fuisse coronatum, seu volorum suorum, cum eum in ulnas suscepit, compotem factum : quod quidem Augustinus ipse paulo post videtur innuere his verbis : Dictum ei fuerat a Domino, quod non gustaret mortem, nisi videret Christum Domini natum. Natus est Christus et impletum est desiderium Senis in mundi ipsius senectute.

AUCTORE J. B.

non SS. Amphiloquius, Augustinus

F

42 Venio denique ad Librum de Vitis Prophetarum S. Epiphania adscriptum : Photius, Epiphantii lucubrationes enumerans, librum illum omnino tacuit : qui autem ipsum inspexerit, varia procul dubio in eo commenta Talmudica, S. Epiphania auctore indigna, reperiet ; unde illum Petavius, Sirmondus, Labbeus, aliique recentioribus non pauci pro fetu subditiua habuerunt : huc etiam valde propendet Papebrochius tom. III Maii pag. 49, num. 57 et seq., ubi, vel librum illum a S. Epiphania scriptum non esse, existimat, aut, si abs illo scriptus revera fuerit (factum enim subinde est, ut etiam veteres Patres commenta Talmudica, ac deuteroses Hebraicas in sua scripta intulerint) Epiphanium mere interpretis, et aliena colligentis officio fungi voluisse, non autem istis commentis illum ex se pondus addere. Addit plures Epiphantos in Cypro subsequentibus seculis floruisse episcopos, quorum

aut Epiphanius ; nec certo Proclus seculo quinto.

AUCTORE
J. B.

quorum principali, ut fieri, solet, adscriptæ forte fuerint Homiliæ, quæ vel alterius Epiphani, scriptorisve fuerunt. Quod si forte Epiphanius ea, quæ in citato libro de Simeone leguntur, e libris Talmudicis hauserit, vel hinc Simeonis sacerdotio parum accedit certitudinis, cum in iisdem libris et alia de eodem Simeone absona et a vero aliena scripta fuisse, viderimus supra. Hactenus itaque allata veterum Patrum pro Simeonis sacerdotio testimonia vel spuria sunt, vel dubiæ saltem fidei. At seculo v ad mediam sui circiter partem profecto obiit Proclus episcopus Constantinopolitanus, ad diem xxiv Octobris Martyrologio Romano insertus, qui varias Homilias a se exaratas posteritati transmisit, a Combesio Parisiis anno 1648 editas, quarum quarta de Christi Nativitate pag. 338, postquam generatim omnem naturam Christo nato munera obtulisse, dixisset, hæc mox speciatim enumerans, Obtulerunt, inquit, Magi, munera, mulieres Martham, viduæ Annam, steriles Elizabeth, virgines Mariam, Dei genitricem, pastores laudationis canticum, sacerdotes Symeonem: quibus verbis, se Symeonem in sacerdotum numero habuisse, non obscure prodit. Nescio tamen, num ea Homilia Procli certo dici possit, et omni ex parte sincera. Forte enim ignoti cujusdam est, qui ex variis Homiliarum scriptoribus laciniæ aliquot sumpserit, indeque Homiliam istam conflavit: certe illius exordium et re et verbis quam simillimum est exordio Homiliæ Theodoti Ancyranæ episcopi, die Nativitatis Christi in synodo Ephesina anno 431 lectæ, quam vide apud Labbeum tom. 3 Conciliorum a col. 988. Ut sit solius Procli, dum, quo fonte Simeonis sacerdotium hauserit, non liquet, auctoritas rem certam, silentibus tot aliis ea de re Patribus, nequit facere.

Favit sec.
vii Sophronius,

43 Hactenus itaque e veteribus allatus est nemo, qui Simeonem sacerdotem fuisse, certo ediderit. S. Sophronius Hierosolymitanus episcopus, qui seculo Christi septimo vixit, id fecisse videtur Oratione de Hypapante seu Occursu Domini tomo i Februarii pag. 276 sequentibus verbis: Quid autem ipsa inviolatis gestavit ulnis, vel quid Simeon excepit suis præter Deum, carnem corpusque factum? Et Deum affectu religioso Propheta suscipiebat, ac Patri Deoque illum deferrebat. Offerre enim Deo Patri Christum solius sacerdotis fuit. Clarius locutus est Sophronius in Carmine, quo Lucæ de Simeone narrationem complexus est: ita canit apud Leonem Allatum in sua de Simeone scriptis Diatriba pag. 5 et seq.:

Ἰερὺς δὲ τις κατὰ
Ἱερουσαλὴμ ἐν ἄσπεϊ,
Συμὼν μέγας προφῆτης
Φορῶν Θεοῦ Πνεῦμα.
Habitabat autem in urbe
Jerusalem sacerdos
Aliquis, propheta magnus
Simeon, Deoque plenus.

Ac aliquanto item post de Christo, a Parentibus Simeoni in ulnas dato:

* ἂν τε-
λοῦντες?

Νῦμον οἱ γονεῖς πελοῦντες *
Ἰερὲς βοέρος παρέσχον,
Ὁ δὲ δέξατο προθύμως
Πατρὶς Θεοῦ δικαίαις.
Genitrix, paterque rite
Puerum obtulere Mystæ,
Alacer sed ille justis
Manibus Deum recepit.

44 Eodem quoque seculo Christi septimo floruit Leontius, Neapolitanus if Cypro episcopus; seculo vero viii S. Joannes Damascenus. Prior quidem Orationem habuit in Symeonem, quam Auctario Patrum Græcorum inseruit Combesius; at nihil, unde Simeonis sacerdotium colligas, habet: imo vero apud Combesium citatum part. i, col. 695 laicum fuisse, potius innuit, cum de benedictione, quam Mariæ et Josepho impertiit, agens, mere talem fuisse ait, qualis cuivis laico competere poterat. Verba ejus accipe: Laudamus, probamusque, inquit, tuam, o Symeon, ex ferventissima dilectione voluntatem. Quamquam etiam omni benedictione superiores erant Mater pariter puerpera, ac Puer: laudationis tamen loco eam obtulit, ea nimirum ratione, quæ pueri tres in Babylone: nam et illi nedum virtutes angelicas universumque hominum genus, verum etiam ratione ac sensu destitutas res ad benedicendum Deo hortabantur, quemadmodum dictum est, prosequendo verbis divinas laudes. Hac itaque ratione etiam Symeon impræsentiarum illis benedixit et dixit ad Mariam, matrem ejus etc. Alter vero, Symeonem E sacerdotem fuisse, apud Michaëlem le Quien tom. 2, pag. 837 his, quibus beatam Virginem alloquitur, verbis significat: Ave, quod Infantem genneris, quem recens editum canitii spectabilis sacerdos Simeon conspiciens, hinc dimitti studebat. Sed Toutleus, supra num. 39 laudatus, pag. 361 Homiliam hanc in Annuntiationem, e qua relata mox verba transcripta sunt, pro genuina non habet; ac fore tota ex congestis hujusmodi Deiparæ salutationibus constat. Toutleus judice, Damasceni tempore dicta non est, eaque est inter Orationem hanc et Cyrillianam, de qua eodem num. 39, stili similitudo, ut vel idem orationis utriusque auctor esse videatur, vel (quod magis censet) alter alterum Pseudo-cyrrillum Pseudodamascenus vel transcripserit, vel imitatus sit.

45 S. Paulini Aquileiensis, qui sub initium seculi ix vivere desiit, verba dedimus num. 10. Leo vero imperator, Sapiens dictus, et initio sec. x e civis ereptus, Oratione in Dominicam Præsentationem Simeonis sacerdotium agnoscit his verbis: Mater utique, alia ac matrum ratione, suscepta editaque prole, primogenitam illam Deo oblatum ab: Infantem sacerdoti offert vilibus obiectum pannis, ut legitimum ac legalis benedictionis compos fiat. Ne vero quis ambigat, quo de sacerdote loquatur, addit aliquanto post: Ac quidem adstringitur fasciis, solvit vero gestantem sacerdotem a carnis fasciis, postquam ille rugosis oculis recens ostensum Salutare vidisset; quibus procul dubio verbis Simeonem, quem paulo post etiam nominatim expressit, designatum Leo voluit. Hisce recentiores plures addere, qui pro S. Simeonis sacerdotio stent, et numerum quidem faciunt majorem, non rem certiore, non est necesse. Ex dictis vero hactenus colligi satis superque reor posse, paucos e veteribus scriptoribus et Patribus, eosque non admodum antiquos, esse, qui Simeonem sacerdotem fuisse, dixerunt; atque adeo, nec, spectata auctoritate veterum, id satis probatum dari. Quod si monumenta quedam, apocrypha quidem, Gelasio tamen Papa antiquiora existant, quæ Simeonis sacerdotium testentur: ea apud insigniores vetustioresque Patres, ut eorum ea de re silentium satis declarare videtur, fidem non videntur invenisse: horum quidem aliquot Hensche-

non tamen,
ut apparet.
Leontius: fa-
vit Damascenus sec. seq.

Favit etiam
Paulinus
Aquileiensis:
sed hi non
satis antiqui.

A nius tom. 1 Februarii, ubi de Hypapante Domini et Purificatione Mariæ egit, laudavit; sed nondum accurate satis, ut ex iis, quæ de Methodio dicta sunt num. 33, liquet, expensos.

§ IV. S. Simeonis obitus, sepultura, reliquiæ variis locis dispersæ.

Obit Simeon paulo post obitum Christum Hierosolymæ,

Simeoni Spiritus sanctus, non modo fore, ut Christum videret, sed etiam, ut, eo viso, brevi moreretur, prædixerat, ut Lucæ narratio suadet. Quare, cum jam voto suo Christum videndi potius esset, nec haberet, cur longiorem in terris moram traheret, mox in has voces erupit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Certe non multum temporis inter obitum in templo Christum et Simeonis pium ac sanctum in pace obitum intercessisse, dilucide docuit S. Cyprianus, num. 9 laudatus, verbis istis. Quo viso, scivit, se cito mortuum. Lætus itaque de morte jam proxima et de vicina accersitione securus, accepit in manus Puerum etc. At quantum fuerit illud temporis spatium, quis certo edicat? Nihil quoque certi de loco, quo e vivis abierit, Hierosolymæ nimirum, an in hujus vicinia, statuerim: verosimiliter quidem Hierosolymis, si vere illum laudatus num. 43 Sophronius, cum Dominum suscepit, ibidem habitasse tradiderit: at id Sophronii dictum vel de ipsa urbe Hierosolymitana, vel etiam de loco Hierosolymæ vicino, quem tunc forte inhabitabat Simeon, intelligi potest. Meminit equidem Quaresmius tom. 2 Elucidationis Terræ Sanctæ lib. 6, cap. 5 Peregrinationis 1, Turris Simeonis, in qua hic ex earum partium incolarum traditione habitavit. Pertransientes, inquit ille, piscinam Bersabee, de qua cap. 3, et collem ascendentes pii fideles sequuntur iter versus Meridiem et Bethlehem, relicto ad lævam partem monte Mali consilii, ubi primum consilium tractatum est de morte Domini.

aut prope illam: quo loco

47 Atque hic primo se illis offert consideratione digna turris quedam, quæ TURRIS ET DOMUS S. SIMEONIS SENIS, illius, cujus laus est in Evangelio, appellatur. TURRIS dicitur, quia ad modum turris constructa elevatur; et domus, quia in ea sanctum Senem habitasse, traditio harum partium est. Ampla satis et commoda est (a piis fidelibus aucta et exornata, ut inquit infra eodem cap.) et quamvis satis vetustate consumpta et demolita sit; tamen adhuc in ea sunt ad decem cubi-
cula et cisterna, in qua pluviales aquæ colliguntur. Distat circa duo millia a Jerusalem (versus occidentalem urbis plagam) et a via Bethlehemitica unum, ad ejus dexteram partem. Ita ille, aliique ex incolarum traditione: ut adeo verosimiliter Simeon, si non in ipsa urbe Hierosolymitana, saltem in ejus vicinia et forte loco mox descripto esse in civis desiderit. Sepultum fuisse S. Simeonem juxta sacerdotes, ait Pseudo-epiphanius num. 35 relatus; verum ex ea forte opinione, quod ex tribu Aaron et sacerdos, ut tradit, fuerit; neque uspiam reperi, peculiarem quemdam locum Judaicorum sacerdotum sepulturæ fuisse destinatum. Passim mortuorum cadavera Hierosolymis tumulabantur in locis suburbanis et Judæorum quidem vulgari in Cedron, qua Orien-

tem Hierosolyma respicit; ut adeo, sive laicus, sive sacerdos fuerit S. Simeon, quo primum loco exuvie ejus terræ mandatæ fuerint, edicere nequeam. Locum quidem indicare videtur S. Adamnanus lib. 1 de Locis sanctis cap. 40. In eadem supra memorata valle (Josaphat) non longe ab ecclesia sanctæ Mariæ turris Josaphat monstratur, in qua ipsius (Josaphat) sepulchrum cernitur, cui videlicet turriculæ quædam lapidea domus ad dextram cohæret partem de rupe excisa et separata montis Oliveti, in qua intrinsecus ferramentis cavata duo monstrantur sepulchra sine aliquo ornatu, quorum unum illius Simeonis justus viri est, qui, infantulum Dominum Jesum in templo ambabus manibus amplexus, de ipso prophetizavit; alterum vero æque justus Joseph, sponsi sanctæ Mariæ et Domini Jesu nutritoris.

AUCTORE J. B.

48 At Gregorius Turonensis lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 27 sic scribit: Sepultusque est in monte Oliveti (S. Jacobus frater Domini) in memoria, quam sibi ipse prius fabricaverat, et in qua Zachariam ac Simeonem sepelierat. In quæ Gregorii verba Ruinartius hæc annotat: Zachariam, S. Joannis Baptistæ patrem, multi interemptum esse volunt Herodis jussu intra templi ipsius septa. Symeonis vero senis, qui Christum in ulnis susceperat, sepulchrum in rupe montis Oliveti exstitisse, testatur Adamnanus. Hic Simeonis sepulchrum in valle Josaphat, quæ Hierosolymam inter et montem Oliveti media est, exstitisse ait: quia tamen vallis Josaphat monti Oliveti contigua et ad ejus radices sita est, eundem fortassis locum tam Gregorius, quam Adamnanus intellexere: verum in eo discrepant, quod Josepho, Christi nutritio, Simeonem quantum ad sepulturæ locum conjungat Adamnanus; contra Gregorius Simeoni Jacobum, Hierosolymorum episcopum, et Zachariam seu Joannis Baptistæ patrem, seu ejusdem nominis alium. Spectatis quidem Adamnani verbis, fieri potest, quidquid sit de S. Josephi sepultura, ut primam juxta turrim Josaphat nactus sit Simeon sepulturam: at Gregorii verbis, non agi de prima ejus sepultura perspicuum est; cum Jacobum, anno æræ Christianæ 60 occisum, moriente Simeone, seu æræ Christianæ initio sepulturam sibi struxisse, verosimile non appareat. Ceterum Gregorii dicta, quibus Jacobi Minoris, Simeonis et Zachariæ corpora eodem loco sepulta fuisse ait, a vero videntur aliena: nam Jacobum Hegesippus in loco martyrii, Metaphrastes autem prope templum Domini sepultum fuisse, apud Henschenium tom. 1 Maii pag. 27 tradit. Quaresmius quidem supra laudatus lib. 4, cap. xi Peregrinationis 7 ait, vocibus prope templum aut similibus intelligi posse montem Oliveti, qui e regione templi erat, nec procul ab illo dissitus; vel primo quidem prope templum fuisse sepultum; sed dein ad montem Oliveti, vel contra, fuisse translatum. Sed primum refutat Hieronymus mox citandus: alterum, si factum est, fieri post scriptum anno 392 in Bethlehem ab Hieronymo de Scriptoribus ecclesiasticis librum debuit: sic enim ibi Hieronymus de S. Jacobo Minori: Quidam e nostris in monte Oliveti eum putaverunt conditum, sed falsa eorum opinio est. Redeo ad Simeonem.

sepultus fuerit,

E

F

49 Cornelius de Bruyn in Itinerario Orientali pag. 267 ait, SS. Josephi et Simeonis tumulos se vidisse in sacello quodam prope ecclesiam subterraneam sepulcri B. Mariæ Virginis, non procul a porta S. Stephani. At inter Leonis Alla-

non satis liquet.

AUCTORE
J. B.

līi Συμμετα a Nihusio edita, pag. 84 scriptor anonymus Græcus S. Simeonis sepulcrum in ecclesia Sion collocat: verba ejus, Latine ibi reddita ita habent: In dicta sancta Sione visitur Deiparæ et sancti Joannis Theologi domus.... tum sepulchrum Prophetarum Davidis et Salomonis, et senioris Simeonis. Imo et ecclesiam illam S. Simeonis dictam fuisse, seculi 8 Benedictini part. 2 pag. 525 scribit Bernardus monachus in Itinerario, facto in loca sancta anno 870 his verbis: Est præterea in ipsa civitate alia ecclesia ad Meridiem in monte Sion, quæ dicitur sancti Symeonis, ubi Dominus lavit pedes discipulorum suorum etc. Tam dissona invicem testimonia faciunt, ut verus, quo Simeon sepultus fuit, locus mihi appareat admodum dubius, nec certi quidpiam ausim de illo pronunciare: sed sive prope turrim Josaphat, sive in sepulcro Zachariæ, sive in monte Sion, sive denique in sacello, ecclesiæ sepulcri B. Mariæ Virginis vicino, sepultus fuerit, id equidem paulo tutius licet dicere, sepultum fuisse S. Simeonem in aliquo urbis Hierosolymitanæ suburbano loco, cum ea ætate mons Sion extra urbem esset, et mortuorum cadavera, extra civitatis muros elata, humi condere Judæi solerent.

Ejus reliquias CP-olim prius translata, inde Aquisgranum,

50 Gregorius Turonensis, qui sub seculi sexti finem et Adamnanus, qui sub initium octavi obiit, tumuli quidem S. Simeonis meminerunt; at neuter, S. Simeonis corpus sive reliquias in eo servatas sua ætate, scribit; forte quod jam inde ab eo tempore, quo Gregorius scribebat, et forte etiam diu ante Constantinopolim translatae erant, easque Justinus Junior, qui ab anno circiter 565 usque ad annum 578 imperavit, in condito a se S. Jacobi templo collocandas curarat: sic enim Georgius Codinus in Excerptis de Antiquitatibus sive Originibus Constantinopolitanis: Prope supradictum templum idem imperator ecclesiam sancti Jacobi exstruxit, ubi suis in conditoriis asservantur reliquiae sanctorum Innocentium et Simeonis Theodochi (id est, qui Christum manibus excepit) et Prophetæ Zachariæ et Jacobi, fratris Christi. Constantinopoli in Occidentem reliquiarum S. Simeonis partes aliquot Caroli Magni pietate et opera delatae postmodum fuere, quas ille in condita a se Aquisgranensi, in qua etiam sepultus fuit, S. Mariæ ecclesia, partim saltem collocavit. Ita habet historica brevisque Informatio de sacrosanctis reliquiis, singulis septennis fidei populo exhiberi solitis, anni 1650 cap. 2, quod est de reliquiis a Carolo Magno Aquisgranum deportatis: De his diversa Ms., quæ in archivo Aquensis ecclesiæ servantur, habent, eum Constantinopoli accepisse de corona Christi spinea, de clavo crucis, partem sanctæ Crucis, sudarium Christi, quo sacer ejus vultus in sepulchro tectus fuit, camisiam B. Virginis et fascias, quibus Christus in præsepio jacebat involutus, et brachium S. Simeonis, quo Christum amplexus est. Vide, quæ de Caroli Magni cum imperatoribus Constantinopolitanis Nicephoro, Michaelæ et Leone fœderibus, et singulari in Aquisgranensem B. Mariæ ecclesiam studio Eginardus scripsit, tom. 2 Januarii ad diem xxviii ejusdem mensis, eidem Carolo sacrum; nec, ut opinor, ea de re litem Aquisgranensibus movebis.

in Prumiense, et Sandionysianum monasteria;

51 Ex iisdem verosimiliter reliquiis, quas Constantinopoli Carolus Magnus acceperat, Lotharius, Ludovici Pii filius, Caroli Magni nepos, cum jam Prumienses inter monachos abdicatione imperio, vitam monasticam ageret, Pru-

miensi monasterio pedem S. Simeonis dono dedit, ut testantur ejusdem ea de re litteræ, quas ad annum 855, quo Lotharius obiit, Broverus num. 94 in Annalibus Trevirensibus recitat. Verba, quibus reliquiarum S. Simeonis (plures enim aliorum Sanctorum reliquiae ibidem recensentur) a se monasterio Prumiensi donatarum, mentionem facit, hæc sunt: Pedem S. Simeonis, qui Dominum suscepit in templo. Eo iisdem quoque Carolus, cognomento Calvus, Lotharii mox memorati frater, San-Dionysiano monasterio verosimiliter dedit partem aliam e reliquiis S. Simeonis. Ita equidem Saussayus scribit in Martyrologio Gallicano ad diem viii Octobris, cujus verba recito: Ejus brachium, quo Christum amplexus est, a Carolo Magno cum multis, quæ sollicite toto orbe conquisivit, pretiosis pietatis Christianæ monumentis et Cœlitum memorandis pignorum, Aquisgrani in basilica, ipsi glorioso regi dilectissima, collocatum, a Carolo Calvo, ejus nepote, ex nobilis sedis sacratio depromptum, ad cœnobium regale S. Dionysii prope Augustam Lutetiam, perpetuo honore colendum, magna devotione delatum est, atque super altare impositum, quod propter sacrorum munus ibi conditorum excellentiam « Altare sanctum » abhinc cepit passim appellari. In quo etiam ex dono ejusdem Caroli collocatum. Subjungit dein, alterum S. Simeonis brachium in Liesbornensi abbacia dudum fuisse servatum. Quid igitur? Num dolo malo Aquisgranenses S. Simeonis brachium fidelibus ostentasse dicendi sunt? Minime vero: scribit enim Michael Felbien in Descriptione ecclesiæ S. Dionysii cap. 3, servari tantum in ea ecclesia unum ex ossibus brachii S. Simeonis, auro inclusum. Ut adeo hinc confici nequeat, a Caroli Calvi ætate S. Simeonis reliquiis Aquisgranenses caruisse.

52 Seculo tamen xi aliquo saltem temporis intervallo iisdem caruisse videntur: Aquisgrano enim Henricus IV imperator S. Simeonis reliquias Hartesburgum, Brunsvicensis ducatus oppidum, duobus circiter miliaribus Goslaria dissitum fere ad Hildesheimensis diocesis limites transferri jussit, teste Lamberto Schafnaburgensi, ita scribente ad annum 1072: Rex Aquasgrani profectus, S. Speum confessorum, et brachium Justi Simeonis, cujus mentio est in Euangelio, et caput Anastasii monachi et martyris, aliorumque Sanctorum reliquias ibi accepit, atque in Hartesburg transtulit. At cum eo ex oppido frequentia damna vicinis Saxonibus, Henrico adversis, inferrentur, idem pene, quod Hartesburgum a Saxonibus vicinis, exitium S. Simeonis, aliorumque Sanctorum reliquias, quas eo transferri Henricus jusserat, subiere brevi post. Ita enim Lambertus ad annum 1074. Porro vulgus Saxonie, id potissimum, quod contiguas castello Hartesburg villulas incolebat, vehementer offenderat, quod in Hartesburg ullæ servatæ essent reliquiae, nec quidquam tantis laboribus actum putabant, stante atque incolumi castello, quod omnium cladum, quas acceperant, caput principumque exstitisset, et quod circumjacentis regionis opulentissimas quondam villas nunc in horrorem vastamque solitudinem redegisset. Non detulisse regem cultui divino, sed sub prætextu religionis crudelitatis suæ patrocinium quæsisse, ut scilicet, instaurato post modicum bello, cum hæc ira Saxonibus deferbisset, locum habeat, ubi milites suos rursus ad eversionem

seculo xi
Aquisgrano
Hartesburgum,

A eversionem Saxoniae tuto recipiat, et tunc tanto victis incubat infestior, quanto nunc discedit Saxo- num laetis successibus efferatior.

et hinc dein
iterum
Aquisgra-
num fuere
delat.

53 Haec vicissim intemperatis clamoribus se- rendo in magnam se ferocitatem inflammaverunt. Igitur tertio die, postquam rex abcesserat, in- scis inconsultisque principibus, facto grege, in Hartesburg irruunt, quod residuum erat murorum a fundamento deiciunt, lapides longe lateque dispergunt, cæteris ædificiis, quæ indulgentia principum servaverat, idem faciunt; ecclesiam, quæ accelerandi operis studio interim lignis ele- gantissime constructa fuerat, incendunt, thesauros diruunt, altaria confringunt. Postremo, ne qua regi instaurandi castelli occasio reliqua esset, filium ejus et fratrem, quos ille ad gratifican- dum popularibus locum ibi tumularat, effodiunt, aguntque omnia, quantum possunt, ne admini- strando bello deinceps mons complanatus ullam præstare possit opportunitatem. Reliquias San- ctorum, quæ effractis altaribus erutæ fuerant, et effossa defunctorum corpora abbas ex vicino cenobio opportune superveniens furenti vulgo B eripuit, atque in suum monasterium cum ho- nore transvexit. Cujus monasterii abbas hic memoretur, me quidem hactenus latet: at S. Simeonis reliquias dein Aquisgranum reduclas fuisse, necesse est; cum eas postmodum fidelium oculis et venerationi exponere, ut fidem faciunt varii reliquiarum, Aquisgrani ostendi solita- rum, catalogi serius editi, perrexerint Aquis- granenses.

Earundem
pars

54 Eodem circiter tempore, quo Carolus bra- chium vel brachii S. Simeonis partem Aquisgra- nensibus dedit, aliud item brachium, seu inte- grum seu diminutum, Liesbornensi in Saxonia Inferiori a se condito virginum monasterio fertur dedisse. Loci illius, ad Benedictinos postmodum devoluti, Chronicum Ms., a Benedictino mona- cho anno 1587 compositum, rem ita refert. Sane inter monasteria ab ipso (Carolo Magno) glo- riosissime fundata solemne, non paucis notum, sanctimonialium feminarum monasterium in Dreni Inferioris Saxonie fundo (seu potius, ut aliud ejusdem Chronici apographum sonat: in Bosonis ejusdam prestantissimi viri fundo in Dreni Inferioris Saxonie pago) in beatissimæ perpetuæque Virginis Mariæ, ac beatissimi Sy- meonis Prophete, sanctorumque Cosmæ et Da- miani martyrum honorem construxit, quod a perfluente Lyse alveo, LIESBORN nomen accepit. In quo quidem monasterio Rostwindam germa- nam sibi charissimam, sanctimonialiam feminam, omni sanctimonia præcellentem, abbatissam ac sanctarum virginum inibi inunandarum dire- ctricem, et ad quam omnes respicerent, magi- stram ac exemplar constituit, anno nimirum 799, ut additur in margine. Verum, priusquam chronographum Liesbornensem audire perga- mus, querere hic obiter liceat, quænam sit Rost- winda illa, Caroli Magni soror, cum Eginardus in Vita Caroli (tom. 2 Januarii pag. 883) de eo sic scribat: Erat ei unica soror, nomine Gi- sla, a puellaribus annis religiose conversationi nancipata, quam similiter ut matrem magna coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conversata est, monaste- rio decessit. Non ausim tamen chronographum hic erroris quantum ad rei substantiam arguere, cum plures Pipino Brevis, Caroli Magni patri, filie (de quibus vide dicta tom. 1. Januarii, Octobris Tomus IV.

ubi de B. Godefrido Cappenbergensi) fuisse videantur, et Eginardus solius forte Gislæ meminerit, quod sola legitime Pipino nata esset.

AUCTOR
J. R.

55 Cæterum, pergit post pauca chronogra- phus, præcipuorum quorundam Sanctorum reli- quias abundantissime ditavit: inprimis quidem bea- tissimi Symeonis Prophete (quem et patronum constituit) brachium, a Constantino imperatore imperiali munere acceptum, in præfati monasterii decus et perennem sui memoriam contulit. Et hæc quidem vera videri possunt: verum dum hactenus a se dicta chronographus il confirmat, expositumque, quo pacto reliquias illas Ca- rolus nactus sit, fabulose Caroli Magni in Terram Sanctam expeditioni, quam in monasterii sui codicibus legerat, nimium profecto sese credu- lum prodit. Qui fabulam late eacussam et pro- tritam videre voluerit, consulat Cointium in Annalibus Francorum ad annum Christi 800 num. 28 et seqq. Mihi fabulam chronographi verbis proposuisse sufficit: Ea siquidem, inquit ille, tempestate, qua sub Constantino Græcorum, ac Carolo Francorum imperatoribus Hierosolymita- nus patriarcha (Joannes) de civitate a paganis expulsus cum Joanne Neapolitano sacerdote ac David Hierosolymitano archiepiscopo Constansinopolim venit, res, posteris relinquenda, acta est. Profecto sanctam civitatem a paganis captam, ubi imperator audivit, propriis viribus diffidens, præfatum patriarcham cum suis complicitibus, additis etiam Isaac et Samuele Hebræis, cum litteris, manu imperatoris scriptis, ad Carolum, Franciæ regem, misit: adjuncta etiam visione, qua juvenem quendam vidit, stantem sub spe- cie militis, asserentem, Carolum Magnum, Galliæ regem, in Domino propugnatorem ac Christianæ fidei hostium aptissimum expugnato- rem.

Liesbornensi

E

56 Inventus itaque Carolus Parisiis, qui, lectis literis, fuisque pro Domini sepulchro lacrymis, edictum posuit, ut omnes secum contra paganos dimicaturi arma sua sumerent; cæteris, ut ipsi ac eorum filii quatuor nummorum servi (seu regi debitores) essent. Fugatis itaque paganis ac Terra Sancta recuperata (satis enim vero propere) rex Carolus repatriandi licentiam ab imperatore petiit et accepit. Præparata autem inestimabili diversi generis in auro et gemmis supellectili, in crastinum imperatoria munificentia regi dan- da, nihil horum acceptare voluit, ne aliquod munus pro labore, quem pro solius Dei amore susceperat, accipere videretur. Qui demum anga- riatus, ne si nihil acciperet, inurbanitatis notam incurreret, consilium inivit, ac sic de reliquiis Passionis dominicæ portionem sibi dari petiit. Indicto itaque triduo jejunio tertia die a duo- decim Græcis, ad hoc electis, sanctuarium divi- sum est: et post multa miracula, quæ ipsa hora contigisse leguntur, Daniël Neapolitanus antistes, elevatis manibus, regi clavum Domini tribuit. Dataque sunt præterea Carolo regi frustum Crucis Dominicæ, Domini sudarium, camisia quoque beate Mariæ Virginis, et fascia, qua Dominum Jesum in cunabulis cinxit, et bra- chium Symeonis, quo Christum puerum juxta Spiritus sancti vaticinium excepit: quæ omnia honorifice recondidit et caute custodivit per di- versa loca imposterum divisurus. Ita Liesbor- nensis chronographus, qui ista rectius omisisset: ceterum harum S. Simeonis reliquiarum partem

monasterio

F

AUCTOR
J. B.

Alberto Pio et Isabellæ Claræ Eugenæ, Belgarum principibus, ex Liesbornensis abbatis dono cessisse anno 1621, Miræus auctor est in Fastis Belgicis et Burgundicis, sub annum sequentem excusis, cum Isabellæ a sacris oratorii esset, ad diem viii Octobris, quas in S. Gudulæ templo Bruzellis honorari, addit Willotius in Compendio Martyrologii Belgici ad eundem diem.

uti et Centulensi obli-
gisse dicitur.

57 Centulensi quoque monasterio in Pontivo, duabus leucis ab Abbatis-villa ad Somonam urbe dissito, pars reliquiarum S. Simeonis oblit, Caroli Magni ope, et S. Angilberti, ejusdem loci abbatis et eidem Carolo familiaris, cura. Reliquiarum, a S. Angilberto in Centulensi monasterio fidelium venerationi expositarum, Catalogum ab eodem sancto abbate descriptum, habes tom. iii Februarii pag. 103, ubi inter reliquias Apostolorum et Martyrum recensentur etiam Reliquiæ B. Simeonis, qui Dominum in ulnas suscepit. Ex Oriente vero, puta Constantinopoli aut Hierosolymis, has fuisse accitas, verosimile admodum fit ex verbis, quæ ibidem reliquiarum enumerationi S. Angilbertus præmittit: sunt autem hæc: Quapropter totis visceribus, totaque mentis intentione contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei, et adjutorium gloriosi domini mei Magni Imperatoris de diversis partibus totius Christianitatis, quantas et quales vel unde allatas, recondere in hoc sancto loco valuissemus, prout in consequentibus patet. Id est, in primis de sancta Romana Ecclesia, largiente bonæ memoriæ Adriano, summo Pontifice, et post eum venerabili Leone, Papa Romano: de Constantinopoli vel Hierosolymis per legatos, illuc a domino meo directos; ad nos usque delatas etc. Vide etiam tom. 2 Spicilegii Dacherii pag. 304 et seq. editionis recentioris; ubi S. Simeonis reliquæ in altari S. Stephani repositæ a S. Angilberto fuisse leguntur. Ex his porro liquet, Carolum Magnum non per se, ut quidam fabulantur, Orientem, sed per legatos suos, aditisse et reliquiis Sanctorum fuisse ditatum, quas variis locis ipse dispersit.

Ex iisdem
etiam

58 Proseculi hactenus sumus S. Simeonis a Carolo Magno ex Oriente seu accitas, seu inde acceptas reliquias: at quoniam non omnes, quæ Constantinopoli servabantur, ejusdem Sancti Reliquiæ in Occidentem Carolo Magni ætate transmigraverunt, quid de iis, quæ ibidem remansere, sit factum, nunc inquiremus. Andreas Dandulus, postquam lib. 10 cap. 3 expugnatæ anno 1203 a Latinis Constantinopoleos meminuit, varias in Venetorum, ibidem militantium, manus devenisse, ait, Sanctorum exuvias, quas Venetias transmiserunt: de reliquiis vero S. Symeonis specialim hæc habet: Plebei etiam Veneti, nomine Andreas Balduino et Angelus Drusiaco, de Oratorio sanctæ Mariæ, adhærente ecclesiæ S. Sophiæ, corpus (intellige ex jam dictis illius partem) sancti Symeonis Prophetæ cum labore auferunt, quod Venetias delatum in ecclesia, antiquitus sub Sancti vocabulo fabricata, reponunt. Videtur quidem Dandulus S. Symeonis reliquiarum in urbem Venetam e Constantinopolitana translationem post annum 1203, quo capta a Latinis Constantinopolis fuit, differre: at monumenta Venetæ ea de re confecta, et a laudato sæpe in Opere nostro Flaminio Cornelio, senatore Veneto, tom. 6 Ecclesiæ Venetæ illustratæ, ubi de parochiali S. Symeonis Prophetæ ecclesiæ agit, exhibita, translationem illam anno 1203 diserte illigant.

Veneti

59 Hæc una cum Flaminii Cornelii verbis, quod Venetæ in S. Prophetam pietati et venerationi testimonium præbent, huc transcribo. Pretiosæ beati Senis exuvie, inquit Cornelius, in monumento ex marmore Græco repositæ ipso translationis anno mcccii, ibidem annis quatuordecim supra sæculum quieverunt, donec anno mcccxvii decentiori modo supra principis aræ mensam collocatæ per Jacobum Alberti, episcopum Castellanium, et quosdam alios vicinarum urbium episcopos, solemniter ritu excellentissimo sepulchro reconditæ fuerunt, studio et expensis religiosi viri Bartholomæi Ravachauli ejusdem ecclesiæ plebani. Marmorea arca, qua sacrum corpus divi Senis clauditur, quæque ejus insculptam præfert imaginem, utriusque translationis ex supra laudati plebani diligentia memoriam exhibet; in interiori enim parte ex adverso exsculptæ imaginis hac notatur epigraphæ. "† In Christi nomine Amen. Ann. Incarnat. m. ccc. xvii M. Septembris die iiii, Indictione prima: Translatio corporis sancti Simeonis Prophetæ facta fuit de quadam archa in hoc altare posita, in qua cxiiii annis steterat, in translatione de Constantinopoli in mcccii huc facta, ut in scripturis authenticis continetur, in hoc excellentissimo sepulchro per venerabilem patrem Dom. Jacobum, Dei gratia episcopum Castellanium, cum quibusdam aliis convicinis, episcopis, procurante cum Dei auxilio Bartholomæo Ravachulo ejusdem ecclesiæ plebano sine aliqua ecclesiæ pecunia, propter quod supplicat idem plebanus hujus ecclesiæ capitulo, ac universo convicinio, ut per Christi misericordiam in suis sacrificiis et orationibus semper sit in eorum memoria, et visitet quilibet libenter hæc pretiosa corpora, quia ex Indul. xl. dies diebus singulis relaxantur de injuncta penitentia a D. Pat. d'Alexandria de ordinaria licentia.

E

"† Cælavit Marcus opus hoc insigne Romanus

" Laudibus non parvus * est sua digna manus.

* an parvis?
adepti partem dicuntur.

60 Sancto etiam corpori alia ex antiquo marmore tabella adhæret, cui incisa vetustis characteribus hæc verba leguntur: "Istud est corpus sancti Simeonis Prophetæ asportatum de Constantinopoli mcccii ad hunc locum. Anno mcccxxxiii die xii Decembris, cum ejusdem D. Simeonis sacellum novo ex sectis marmoribus instrueretur pavimento, antiquum monumentum, ad humanæ stature longitudinem effossum, ibidem datum est invenire, quod illud ipsum esse, in quo annis cxiiii sanctus Prophetæ jacuerat, exculpta antiquis litteris denotavit Epigraphæ. "Hic stetit corpus B. Simeonis Prophetæ annis cxiiii. Ex dictis modo de anno, quo S. Symeonis reliquæ Constantinopoli Venetias delatæ fuerunt, satis liquido apparet, id non anno 1220, ut Bailletus in Vitis Sanctorum scribit ad diem viii Octobris; sed anno 1203 vel sequenti saltem contigisse. Quæ porro hactenus de S. Simeonis reliquiis, Aquisgrani, in Prumiensi, Sandionysiano, et Liesbornensi monasteriis, ac demum in Veneta urbe servatis, dicta sunt, si earum singulis portiones aliquas oblitigisse dixeris, conciliari utcumque possunt: verum, si in Dalmatiam oculos convertamus, quæ de illis hactenus dicta sunt, susque deque ruent omnia: Jaderæ enim non Symeonis reliquæ aliquæ, sed corpus ejus integrum, et quidem illæsum servari, fertur non absque insigni

F

A signi vicinorum populorum in illud veneratione. Audi Joannem Colovicum in Itinerario Hierosolymitano et Syriaco anni 1598 Jaderam non modo describentem, sed etiam de servatis eo loci S. Symeonis castris loquentem.

Integrum S.
Simeonis
corpus,

61 Sic habet pag. 13. Insulis hisce scopulisque sancti Stephani, Coronata, Liguri, Solta, aliisque superatis, Jaderam quoque et Sicum, seu Sebenicum, Illyrici continentis urbes, Venetis pariter parentes fascibus, eo die prætervecti sumus. Est autem Jadera (Veneti ZARAM vocant) civitas vetustissima, Dalmatiæ metropolis, in littore maris sita, forma oblonga quadrangulari, muris lapideis et propugnaculis munitissima, marinis fluctibus undequaque cincta, et sublicio tantum ponte, qua Orientem spectat, fossa subtus labente, continenti juncta; habitatoribus frequens, solo opimo ac fertili, ac præ cæteris Dalmatiæ urbibus rerum omnium copia abundans. Venetus magistratus comitis titulo in ea sedem habet, atque incolis jus dicit, et præscriptis legibus justitiam administrat. Beati Simeonis Prophetæ, qui Christum in ulnas suas Euangelii testimonio accepit et benedixit, reliquiis in primis clara est: quæ in cathedrali * ecclesia honorifice conditæ in maxima ab omnibus veneratione habentur. Hujus sancti Viri corpus (ut a Jaderensibus accepimus) insigni Dei beneficio, nullo medicamento fucatum, illæsum plane et integrum in hunc usque diem permansit. A Colovico non dissentit omnino Ughelus tom. 5 Italiæ sacræ auctæ, in metropoli Jaderensi col. 1419 ita scribens: S. Simeonis ecclesia sub vetusto titulo sancti Stephani Protomartyris insignis collegiata est, ubi quatuor mansionarii, tres diaconi, totidemque subdiaconi et acolythi cum plebano sunt, in eaque veneratur corpus S. Simeonis Prophetæ argentea arca inclusum, summaque veneratione non solum ab indigenis collitur, sed etiam ab exteris, ex tota Dalmatiæ provincia confluentibus. Princeps quoque Radzivilus Epist. 1 anni 1583 de Peregrinatione sua Hierosolymitana sic scribit: Postridie, quod festum S. Marci esset, in ecclesiam ivimus.... ecclesias aliquot visitavimus, præcipue sancti Simeonis illius Euangelici, qui Christum puerum in ulnis gestavit: Cujus sacrum corpus sub altari majiori ibidem plane integrum, nec putrefactum, religiose asservatur; quod vidimus accurate et attractavimus.

nec Jaderenses,

62 Corpus illud e Judæa Jaderam delatum fuisse, scribit Corneille in Dictionario Geographico, et quidem, ut Flaminius Cornelius supra laudatus pag. 588, sub annum dumtaxat 1278; quæ si ita se habent, vel sola ratio temporis, cum jam inde a Justiniano II saltem ætate S. Simeonis reliquiæ Constantinopolim fuerint, ut num. 50 vidimus, deportatæ, satis videtur ostendere, corpus illud incorruptum ac integrum non esse Simeonis, cujus Lucæ cap. 2 fit mentio, et si jam inde ab aliquot seculis aliter sit visum Jaderensibus, ut liquet ex versiculis, quos arcæ argenteæ, undique inauratæ, ab Elizabetha, Ludovici Hungariæ regis conjuge, fabrefieri jussæ, a postica parte inscriptis legi, ait Joannes Lucius de regno Dalmatiæ et Croatiæ lib. 5 cap. 1. Sic autem se habent illi:

Simeon hic Justus, Christum, de Virgine natum,

Ulnis qui tenuit, hac arca pace quiescit;
Ungariæ regina potens, illustris et alta

Elizabeth Junior quam voto contulit almo.

Anno milleno treceno octuageno

Hoc opus fecit Franc. de Mediolano.

63 Præterea, quemadmodum in Dalmatia Jaderensis civitas, ita et in Bavaria Andecense Ordinis Benedictini cenobium, ut scribit in Appendice ad Menologium Benedictinum ad diem VIII Octobris Bucelinus, totum sibi S. Simeonis Prophetæ corpus vendicat. Castrum id olim fuit, et comitum Andecensium seculo XII sedes, circa annum 1209 eversa, salvo tamen S. Nicolai sacello, in quo dudum magna sacrarum reliquiarum vis delituerat, quæ postquam anno 1308 detecta fuit, Montis sacri nomen is locus vulgo obtinuit: Bonifacius vero IX, ut scribit Josephus Mezger lib. 4 cap. 35, concessit ut effossæ Sanctorum reliquiæ venerationi publicæ exponerentur. Attulit illas Hierosolymis in Bavariam, et in condito a se monasterio Werthensi deposuit S. Rasso seu Ratho, comes Andecensis; post cujus mortem Werdenses monachi in montem Andecensem una cum reliquiis se contulerunt. Ita Keferloherus, monasterii Diessensis decanus, in Vita S. Rassonis tom. III Junii pag. 895. His enim (imperatoris litteris commendatis) instructus, assumpto peregrini (ut assolet) habitu, B. Rasso cum Juditha, Henrici principis Bojorum et Saxonum conjuge, Arnulphi seu Arnoldi Mali filia, primum Hierosolymam petiit: ubi æstuantissimo venerandi loca sacra animo cum abunde satisfecisset, inde discessit, magno sanctorum reliquiarum thesauro ditatus. Donatus inter cetera corpore S. Simeonis Prophetæ Christi. De reliquiis vero in Andecensem montem e Werdensi monasterio transpectis paulo post ita loquitur: Porro haud diu post viri sancti obitum, Hungaris provinciam devastantibus, monachi locum fuga deseruerunt; seque in montem Andecensem cum reliquiis, a B. Rassone allatis, receperunt: in his autem fuisse S. Simeonis nominatim reliquias, collige ex Hergeri Berger Andecensi chronico, sub annum 1657 impresso ubi Andecensium reliquiarum enumerationem instituens, de illis sic habet: 1 Ossa Simeonis Prophetæ et Timothei, discipuli S. Pauli. Floruit S. Rasso seculo X: verum, si eo seculo Hierosolymis e S. Simeonis reliquiis aliquid superstes fuerit; haud equidem totum illius corpus ibidem tum fuit, ut vel ex iis liquet, quæ de S. Simeonis reliquiis dudum ante Constantinopolim translatis, diximus supra: quare vel Andecenses monachos Benedictinos totum S. Simeonis corpus sibi non vendicare, contra ac Bucelinus scribit; vel id illos immerito facere, omnino existimo.

AUCTORE
J. B.

nec Andecenses possederunt.

64 In Petrocoriensi Galliæ provincia Ligurum est, Ordinis Benedictini monialium, a Petrocoriensi urbe sex miliaribus distans, monasterium, in quo S. Simeonis brachii partem insigni in honore ac veneratione haberi, scripsit ad Majores nostros Armandus Geardus, canonicus Sarlatensis, anno 1664 die 2 Februarii. Ostendi fidelibus, magno illuc numero concurrentibus, solet feria tertia post Pascha, item eadem feria post Pentecosten, die 2 Februarii, et VIII Octobris; neque, saltem plerumque, absque prodigiis. Servatur ibidem codex unus, in quo continentur miracula, centum articulis distincta, quæ ab anno 1626 usque ad annum 1658 ad S. Symeonis invocationem contigerunt. Codicis illius, curis nobilis dominæ Isabellæ Frontanæ de Chiliaud, quæ tum temporis monasterio Liguriensi a secretis

In Liguriensi
monasterio

SECRETORUM
J. R.

secretis erat, exarati, principio legitur, codices alios jam ante de patratu illic a S. Simeone prodigiis fuisse conscriptos; sed hos, absentibus ob bellorum motus a monasterio sanctimonialibus, in Huguenottorum manus incidisse. Codex alter, nobilis dominæ Susannæ a S. Michaële, monasterio Liguriensi pariter a secretis, cura exaratus, et in 29 distinctis articulos, miracula seu beneficia, variæ conditionis hominibus ad invocationem S. Simeonis ab anno 1659 usque ad anni 1663 diem xxv præstita, complectitur, subscriptus a personis fide dignis et Berthou presbytero, sacellano monasterii, qui eorum, quibus facta erant prodigia, excepit testimonia. Tertius denique codex vota, S. Simeoni ab anno 1658 usque ad confectum cura Susannæ a S. Michaële codicem facta, collatosque illi a variis redditus annuos continet. Ita hactenus Gevartus ex iis, quæ vel viderat ipse, vel a loci abbatisa, a se consulta, acceperat: e quibus sane liquet, S. Simeonem multis illis prodigiis, quæ etiam, cum ad Majores nostros scripsit, fieri et in chartis milli consueverant, claruisse, et insigni in honore habitum fuisse, satis superque declarant. Verum quales istæ sunt

B S. Simeonis exuvie? Unde, a quo et quando acceptæ?

pars brachii
prodigiis
clara

65 Gevartus illas in hunc modum Gallice descripsit: Cum anno MDCLXIII mense Decembri in urbe Petrocoriensis versarer, videre mihi licuit S. Simeonis senis, ut ex traditione creditur, brachium, splendida lipsanthea argentea inclusum, ac gemino crystallo, per quod reliquie clare conspici possunt, instructum. Probe observavi, brachium esse sinistrum ad cubitum usque, quod senis alicujus esse, pellis, venæ, nervi et ungues indicant. Id vero pro S. Symeonis Prophetæ brachio, non modo a Sanctimonialibus Liguriensibus, vicinorumque locorum vulgo, sed ab ipsis etiam episcopis Petrocoriensibus litteris tribus, quarum apographa Gevartus nobilis domina Susanna de S. Aulaire, quarta (ita Galliæ Christianæ scriptores tom. 2 col. 1500; Gevartus tertiam appellat) hujus nominis et cognominis anno 1604 loci abbatisa, suppeditavit; hic vero ad nos transmisit. Primæ sunt Petri, Petrocoriensis episcopi, ad Pontium, Santonensem episcopum, quibus testatur, abbatissam Liguriensem brachium S. Simeonis, eleemosynarum percipiendarum (ut olim fieri non raro solebat) causa circumferre. Datæ sunt anno 1263, die Lunæ post Dominicam Invocavit me, seu x Martii; et inter Petrocoriensis ecclesiæ instrumenta tom. 2 a Galliæ Christianæ auctæ scriptoribus relatæ. Reliquæ, simili de argumento scriptæ anno 1287, sunt Raimundi Petrocoriensis episcopi, unæ quidem ad Capitulum Burdegalense; alteræ vero ad Gaufridum Santonensem episcopum datæ. Uterque porro episcopus ita in illis de hisce reliquiis loquitur: Quod brachium S. Simeonis pro certo creditur esse in abbatisa de Ligurio nostræ diocesis, et quod ibi fuit allatum de Constantino-politano civitate, prout a viris intelleximus fide dignis.

seruari dictur.

66 En locum, unde S. Simeonis reliquie Ligurium translate perhibentur: præstitit porro id ex traditione loci Carolus Magnus in abbatisa istius a se sub annum 769 fuudatæ monumentum. At tantam esse abbatisæ Liguriensis antiquitatem, quibus tandem evincitur testimoniis? Nihil in hanc Gevartus attulit, nisi sanctimoniales virgines. Caroli Magni memoriam, velut fundatoris so-

lenniter quotannis celebrare; fundasse Carolum Magnum sub eundem annum 769 Brantiosum alteram virginum Benedictinarum abbatisam, nec a Liguriensi procul remotam; denique Ordinis Carmelitani scriptorem veterem, cujus opus anno 1517 typis prodierit, quæ modo de fundata a Carolo Magno Liguriensi abbatisa et S. Simeonis reliquiis, quas ille ibi, e peregrinatione Hierosolymitana rediit, deposuerit, dicta sunt, posterorum tradidisse memoriam. At parvi ponderis est hac in re scriptor ille, quod nec satis antiquus sit, nec videatur crisi usus accurata, alias Caroli Magni in Terram Sanctam peregrinationem non admissurus: cetera vero fieri facile potuerunt, etsi longe post Caroli tempora Liguriense monasterium accepisset initium; quod equidem visum est Joanni du Puy in ecclesiæ Petrocoriensis Historia pag. 69, Sammarthani tom. 4 pag. 569, et Galliæ Christianæ auctæ scriptoribus tom. 2 col. 1497, qui omnes (apud Sammarthanos enim annus 1015 perperam notatur) seculo dilatant XII Liguriensis abbatisæ initium illigant. Accedit his Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum 1114 num. 77; cujus verba propterea recito, quod ex iis liqueat, foundationis instrumentum ipsi prælucesse, dum ita scripsit: Non solum de viris, sed etiam de sequiori sexu curam gessit Giraldu de Salis, ut probat fundatio Parthenii beate Mariæ de Ligurio, quod in pago Petragoricensi, haud procul a Salis, unde ipse cognomen accepit, cum Maximina prima loci abbatisa construxisset traditur, assentiente Wilhelmo Petragoricensi episcopo mox laudato, fundum in silva Liguriensi suppeditantibus Helia de Bordella, et Iterio de Turre, aliisque, ut patet ex ipsius Wilhelmi litteris anno sequenti datis, ejus episcopatus anno XI. Si itaque S. Simeonis Prophetæ reliquias Ligurium seret, non videntur illæ a Carolo Magno eo delatæ; etsi primus ex Oriente illas forte acceperit Carolus, a quo deinceps ad variorum manus pervenerint, ac tandem fuerint Liguriensibus ab ignoto hodie donatore concessæ.

67 In Siciliam etiam penetrarunt. Panormi enim in monasterio S. Joannis Baptistæ, dicto de Riglione, magna pars brachii S. Simeonis conservatur, et peculiari a fidelibus, ut ex dicendis apparebit, cultu honoratur. De hac sequentem notitiam in Mss. nostris invenio: Insignis hæc reliquia donata fuit monasterio S. Joannis Baptistæ, dicto de Riglione, a doctore D. Carolo Valguarnera, cathedralis ecclesiæ Catinensis cantore, ut apparet ex ejusdem testamento in Actis notarii D. Balthazaris Zamparione die XIII Novembris MDCLXII. Anno autem MDCCXXXIV ab ejusdem monasterii virginibus reposita est in capsula argentea ad id affabre extracta. Magnam illa Panormitanis erga S. Simeonem Prophetam venerationem iniecit, qui vicissim eundem Prophetam non semel sibi sensere beneficium: hinc porro factum, ut archiepiscopus, senatus, canonici ecclesiæ metropolitane et civitatis parochi, una cum prædicti monasterii virginibus sacrorum rituum Congregationi supplices preces anno 1734 obtulerint, ut Officium proprium et Missam de S. Simeone die VIII Octobris in dicta civitate et diocesi a clero tum seculari, tum regulari recitandum approbaret. Ita Dominicus Claverinus, sacri palatii Apostolici causarum patronus in mentorum approbandi supradicti Officii et Missæ expositione, Eminentissimo Cardinali Guadagni

Panormi
item

P

A *gni porrecta.*pars brachii
insigni cultu

68 *Sacra vero rituum Congregatio non modo prædictum Officium et Missam sub ritu duplici recitandum approbavit; sed etiam ad altiorum subinde ritum Clemens XII extulit; ut liquet e gemino, ea de re dato, decreto, altero anni 1734; altero anni 1735. Primum ex his ita habet: Cum in monasterio sancti Joannis Baptistæ, dicto de Riglione, monialium Ordinis S. Benedicti Panormi maxima pars brachii, ut asseritur, S. Simeonis Prophetæ asseretur, quo infantem Jesum accipere meruit in ulnas suas, magnæque populus devotione die viii Octobris ejus festivitati sacræ * ad illum confluere et pie venerari soleat; archiepiscopus, senatus, canonici metropolitane ecclesiæ et parochi civitatis sac. Rituum Congregationi humiliter supplicarunt, ut Officium proprium et Missam ejusdem Sancti a clero sæculari et regulari civitatis, et diocesis recitandum pro die prædicta benigne approbare dignaretur: sacra vero eadem Congregatio ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Guadagni, attento, quod Officium aliud pro ecclesia parochiali S. Simeonis Urbis nuper fuerit concessum, Officium istud, pro dicta ecclesia parochiali jam approbatum, ab universo clero Sæculari et Regulari Panormitanæ civitatis, et diocesis sub ritu duplici recitandum, extendi debere indulsit. Die 28 Augusti 1734.*

A. F. Card. Zondadari

Pro-Pref.

Loco † sigilli

N. M. Tedeschi Arch. Apamenus
S. R. C. secr.

Alterum his concipitur verbis: Sanctissimus Dominus noster Clemens XII ad humillimas preces abbatissæ et monialium monasterii S. Joannis Baptistæ, de lo Rillione nuncupati, Ordinis sancti Benedicti, civitatis Panormi benigne indulsit atque concessit, ut Officium proprium S. Simeonis Prophetæ, jam a sacra Rituum Congregatione approbatum, et novissime pro die viii Octobris ad civitatem et diocesis Panormitanam sub ritu duplici extensum in posterum sub ritu duplici Majore in eadem civitate et diocesi recitari debeat, et ita præcepit, ac servari mandavit. Die 15 Aprilis 1735.

A. F. Card. Zondadari Pro-Pref.

C N. M. Tedeschi archiepiscopus Apamenus
sacr. Rit. Congr. secr.

afficiunt.

69 *Officium ita habet: Antiphona in utrisque Vesperis: Simeon repletus Spiritu sancto accepit Puerum Jesum in ulnas suas, et benedixit Deum in æternum. Oratio: Omnipotens sempiternus Deus, qui Unigenitum tuum ulnis*

beati Simeonis in templo sancto tuo suscipiendum præsentasti, tuam supplices deprecamur elementiam: ut, eo interveniente, in templo sancto gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per eundem etc. *Lectiones 1 Nocturni de Scriptura occurrente; secundi vero ex S. Augustino serm. 13 de Temp. Sic olim prædictum est etc. Lectio vii sic incipit: Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon etc. Ex Homilia S. Ambrosii in cap. 2 Lucæ desumpta sunt cetera. Missa vero est de communi Confessoris non Pontificis: Oratio: Omnipotens sempiternus Deus, ut supra in Officio: Evangelium ex Lucæ cap. 2: In illo tempore: Homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon etc. Alia omnino Missa, aliudque Officium primo conceptum, ac sacræ Rituum Congregationi, ut post laudatam supra domini Claverini momentorum expositionem, anno 1734 impressam, videre est, videtur oblatum fuisse; sed quoniam ejusdem Congregationis approbationem non tulit, pluribus id describere, necesse non est. Ceterum cum S. Simeonis Officium, supra descriptum, a S. Simeonis Romana ecclesia ad Panormitanam civitatem et diocesis, ut ex num. 68 liquet, fuerit extensum, nec Romæ peculiari cultu S. Simeonem carere, perspicuum est; scribitque præterea Pancirolus de Ecclesiis Urbis, in Indice reliquiarum variis ibi in ecclesiis S. Simeonis reliquias conservari.*

70 *Priusquam finiam, pauca adhuc de S. Simeonis reliquiis accipe. Ex iisdem servari dicuntur Coloniae in ecclesiis S. Cuniberti, S. Pantaleonis et S. Catharinæ Ordinis militaris Teutonicorum. Vide Gelenium de Magnitudine Coloniae Agrippinæ lib. 3, syntagmate 4, pag. 289: duodecimo item ejusdem libri et 35, paginis 372 et 442. Præter reliquias S. Simeonis in Oratorio serenissimæ Infantis Isabellæ olim, dein in S. Gudulæ, de quibus num. 56, servatas, servari præterea alias Brugis Flandrorum in cathedrali S. Donatiani ecclesia et in Hannoniæ Lætiensi cœnobio, ait in Hierogazophylacio Rayssius, quem consule pagg. 200, 278 et 398. Willotius in Martyrologio Belgico ad diem viii Octobris Collegio nostro Bruxellensi caput S. Simeonis adscribit; sed Simeonem, episcopum Hierosolymitanum, die xviii Februarii cultum, cum Simeone Propheta confudit. Scrupulum fortassis alicui movebit, brachiorum S. Simeonis tot partes, easque non exiguas, in tam variis locis servari: ut de his judicium ferri posset, accurata singularum notitia sane opus esset, qua, cum destituatur, nec facile illa acquiri possit, nihil certi edicere de his possum; quamvis, eos maxime, qui totum aut fere totum S. Simeonis corpus sese possidere contendunt, a vero aberrare vix dubitem.*

AUCTORE
J. B.Denique et
Colonie va-
risque Belgii
locis servari
dicuntur.

F

